

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam  
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617789**

Caput CXLVIII. Christus Ficui Maledicit, Templum Denuo Repurgat, Et  
Valedictoriam De Suo Officio Concionem Institut.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18162**

quis volunt esse conspicui. (5.) Ambitio est per quam noxia & exitialis pestis, quâ plurimi a veritatis confessione se impediri patiuntur. Non quidem absolute & simpliciter prohibitum, honestam nomen coram mundo sectari, Proverb. 22. vers. 1. Sirac. 41. vers. 15. ac gloriam apud homines habere: sed gloriam apud homines præferre, gloriâ apud Deum, quæ est vera & solida gloria, cum illa sit inanis & evanida, hoc verè est, quod jure ac merito improbat, Galat. 1. versic. 10. *Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem.*

(6.) Ne quidem ipsius vitæ, nedum proprii honoris & gloriæ apud homines jactura a confessione cœlestis veritatis nos absterri patiamur: sed intrepidè in hac prava & adultera generatione Christum confiteamur. Quod si propterea ignominia à mundo afficiamur, si propter confessionem Evangelii, dignitatem, facultates, adeoque ipsam vitam amittere cogamur, solemur nos, fore, ut aliquando gloria cœlesti & vitæ æternæ bonis honoremur.

## CAPUT CXLVIII.

CHRISTUS FIGUI MALEDICIT, TEMPLUM DENUO REPURGAT, ET VALEDICTORIAM DE SUO OFFICIO CONCIONEM INSTITUIT. MATTH. 21. V. 18. MARC. 11. V. 12. JOHAN. 12. V. 44.

## RATIO ORDINIS.

**R**egium Christi in urbem Hierosolymam ingressum, templi repurgationem, cœcorum ac claudorum sanationem, & reliqua Prophetici officii munia die palmarum peracta proxime excipit ficus maledictio. Memorat enim Matthæus, Christum, circa vesperam diei palmarum Hierosolymâ relictâ, abiisse in Bethaniam, ibidemque pernoctasse, mane autem, diei scilicet proxime sequentis, in urbem reversum, esturisse, ac in ipsa matutini hujus itineris viâ ficui infrugiferæ maledixisse, ubi particula *δε* & adverbium *αρωια* seriem Historiæ ostendunt. Marcus adhuc manifestius ordinis rationem exponit, dicit enim, ficus maledictionem contigisse *την επαισιον*. Vulgata minus commodè reddidit, *die aliâ*. Potest enim illud indefinitè accipi, quod in aliquo dierum subsequente hoc acciderit, ac potuisset esse dies aliâ, si vel maxime non fuisset sequens crastina: cum propriè significet *postridie*, sive *postero die*, subintelligitur enim *την ημεραν*, estque in hac loquendi formula Hebraismus, disertiores enim Græci dicunt *την εποαιαν* vel *την επαισιον*, pro quo Marcus Hebræorum idiotismum secutus, dicit *την επαισιον*: Genes. 19. versic. 34. *Et fuit* *ממחר*, à crastino, vel in crastino. Targ. *ביום רבחרו*, in die postero. LXX. *εν τη επαισιον*. Matthæus Historiæ de maledictione ficus immediate subjungit, quod discipuli videntes ficum exaruisse, admirabundi dixerint: *Ut qui continuo aruit ficus?* qua occasione de efficacia fidei miraculose Christus dissertere cœperit. Posset igitur alicui videri, colloquium illud Christi cum discipulis de virtute fidei ad illum ipsum diem pertinere, quo ficus maledictio contigit, hoc est, ad diem à regio in urbem ingressu proximum sive alterum: sed ex Marco constat, ad diem ab ingressu tertium illud referendum esse. Neque ulla hac in parte est

*Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.*

inter Evangelistas pugna. In eo enim utrique convenit, quod Christus postridie solennis sui in urbem ingressus ficui maledixerit, quodque post maledictionem ficus continuo exaruerit; Marcus autem distinctè exprimit, quo die arefactio à discipulis fuerit animadversa, videlicet sequenti demum die, id quod à Matthæo prætermisissimum, qui temporis notationem hic non addit. Distinguendum proinde inter arefactionem ficus, & inter arefactionis illius observationem. Arefactio statim secuta est maledictionem, ut disertis verbis annotat Matthæus; sed non statim fuit à discipulis animadversa, neque enim protinus folia ceciderunt vel pallida apparuerunt, sed internus & vivificus humor virtute verbi Christi fuit subtractus, quam subtractionem secuta fuit exterior arefactionis manifestatio, quando sequenti die stetit comis foliorum viduata, omnique virore destituta. Augustinus, libr. 2. de consens. Evang. cap. 68. *Intelligitur non tunc aruisse, quando viderunt discipuli, sed continuo, quando maledicta est. Neque enim ariscentem, sed penitus arefactam viderunt, ac si eam continuo in verbo Domini aruisse intellexerunt.* Qua de re autem hæc circumstantia temporis, quo ficus maledictio contigit, nos moneat, postea explicabitur. Historiæ de ficu maledicta & arefacta subjicit Marcus, quod Christus in urbem & templum ingressus, vendentes & ementes ex eo ejecerit. In eo quidam agnoscunt *υπερολογιαν*, existimant enim, commemorari à Marco illud, quod die præcedente factum esse, Matthæus & Lucas annotant. Sed ostendimus superius, ejectionem illam ementium & vendentium, quam Marcus die ab ingressu altero factam describit, distinctam esse ab ejectione negotiantium, quam ipso palmarum die factam, Matthæus & Lucas commemorant:

V 3

morant:

morant: occurrunt enim in ejectione à Marco descripta quædam, quæ ab ejectione pridie facta, & à Matthæo ac Luca annotata, manifestè differunt. 1. Marcus dicit, *quod non permisit CHRISTUS, ut quisquam vas deportaret per templum*, de quo nihil extat apud Matthæum vel Lucam. 2. In priorè ejectione Christus simpliciter dicit: *Domus mea domus preceationis vocabitur*: sed in posteriore ejectione disertè additur: *vocabitur domus preceationis omnibus gentibus*. 3. Apud Matthæum & Lucam in priorè ejectione affirmativè hoc dictum recitatur: *Scriptum est, domus mea domus preceationis vocabitur*: sed hic apud Marcum interrogativè hoc exprimitur: *Nonne scriptum est, &c.* 4. Cum primis verò ideo repurgationem templi à Marco descriptam, à repurgatione, quam Matthæus & Lucas describunt, distinguendam esse, dicimus, cum una ipso palmarum die, altera postridie ejus diei facta, disertis verbis dicatur, à quâ notatione temporis sine urgentissima causa non est discedendum. Concionem Christi, quam Johannes à versic. 44. usque ad finem capitis 12. describit, Chrysostomus, Augustinus & Theophylactus illo ipso die, quo de fructu mortis suæ concionatus fuerat, hoc est, die palmarum, habitam fuisse statuunt, quæ sententia sequentibus confirmari potest argumentis: (1.) quia Evangelista cum superiore concione immediate eam conjungit, ipsa igitur connexion ostendit, uno & eodem tempore hæc fuisse dicta. (2.) quia in cœtu eorum, quibus Christus dixerat: *credite in lucem, dum lucem habetis, ut filii lucis sitis*, docente Johanne, fuerunt quidam prorsus increduli; quidam Christum, esse promissum Messiam, agnoscebant, sed eum confiteri non audebant. Utrisque opposita est hæc concio. Ad incredulos enim pertinet illa comminatio: *Si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non judico eum, non enim veni, ut judicarem mundum, sed ut servarem mundum. Qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui judicet eum.* Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Ad timidos fidem suam confiteri erubescences pertinet, quod Christus dicit: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* His enim verbis præposteri illius metus ac pudoris causam ipsis auferre conatur, dicens eum, qui in se credit, non in se, sed in Patrem, hoc est, in verum Deum credere, proinde si non erubescant confiteri se in Deum ac Patrem credere, nihil esse causæ cur confiteri timeant, quod in se credant. Eodem finè, ut videlicet ad confessionem publicam eos animet, Christus hæc verba proferens, *clamat*, manifestè declarans, se non metuere hostium insidias ac machinationes ex hac publica confessione metuendas, proinde etiam illos mutæ fidei Principes suum debere exemplum sequi, Phari-

zororum excommunicationem alto animo contemnendo, & majorem gloriæ apud Deum, quam apud homines rationem habendo. Potest etiam illud, quod credentes non manere in tenebris, dicit, quodammodo huc referri, hoc sensu: Cum ego lux in mundum venerim, non est conveniens, ut, qui in me, veram lucem, credunt, in tenebris manere velint, hoc est, ex præpostero metu fidem suam occultare, & in abscondito tantum discipulos sese meos esse profiteri: sed oportet, ut in lucem prodeant per publicam confessionem, ac lucem suam coram hominibus lucere faciant, Matth. 5. versic. 16. ut hac ratione cæteris lumen quasi præferant, sicut etiam ego, quæ loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor, palam scilicet, & non in abscondito, Johan. 18. versic. 20. Videtur igitur hæc concio eodem die habita, quo Christus regium suum in urbem Hierosolymam ingressum celebraverat, cum in eandem ferè sententiam tunc dixerit: *Adhuc ad breve tempus lumen vobiscum est. Ambulate, donec lucem habetis, ne vos tenebræ occupent, credite in lucem, dum lucem habetis, ut filii lucis sitis*, versic. 35. & 36. hoc est, relinquit tenebras incredulitatis, sectemini lucem fidei, & quod corde creditis, per confessionem oris in lucem proferre. Sed cum superiorem Christi concionem Evangelista his verbis concludat: *Hæc locutus est Jesus, ac digressus abscondit se ab eis*: id eod cum Theophylacto rectius statuitur, Christum hunc sermonem non habuisse statim post superiora, sed postquam se abscondisset, hoc est, postquam circa vesperam ex urbe Hierosolyma Bethaniam abiisset, ac manè sequentis diei in urbem reversus fuisset, eum enim esse verborum Johannis sensum, ex collatione cum reliquis Evangelistis superius ostendimus. Quamvis verò ex Johanne non possit evidenter colligi, an altero, an verò tertio, vel quarto post regium in urbem ingressum die hæc à Christo in templo Hierosolymitano sint prolata, singulis enim illis diebus in publico docuit, verisimilius tamen est, altero statim post regium ingressum & superiorem concionem de fructu mortis suæ habitam die, hunc valedictorium quasi sermonem à Christo in templo Hierosolymitano fuisse institutum: commemorat enim eum Evangelista occasione accurata incredulitatis Judæorum & mutæ fidei Principum, qui Christum, quem Messiam esse persuasi erant, apertè confiteri nolebant, ac docet, Christum probè scivisse, quinam fuerint ex numero incredulorum, quive veriti fuerint sese confiteri, atque illos quidem mentione judicii extremi terre, his vero explicatione officii sui animum addere voluisse, quod commodissimè sequenti statim die factum esse statuitur. Referemus igitur hanc Christi concionem ad diem ab ingressu Regio proximum, eidemque subjungemus verba Marci, quibus Christum sub vesperam illius diei denudò Hierosolyma egressum esse commemorat.

## FIGIS MALEDICTIO, REPETITA TEMPLI REPURGATIO, AC VALEDICTORIA CHRISTI DE SUO OFFICIO CONCIO.

## MATTH. 21.

18. Πρωίως δὲ ἐπανήγων (ὁ Ἰησοῦς) εἰς Ἱερσόλυμα, ἐπεινώσασθε.  
 19. Καὶ ἰδὼν συκῆν μίαν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, καὶ εὐδὲν εὗρεν ἐν αὐτῇ εἰ μὴ Φύλλα μόνον· καὶ λέγει αὐτῇ μηκέτι ἐκ σὺ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα καὶ ἐξηράνη παρακαρμίου ἡ συκῆ.
18. Manè autem revertens (Jesus) in civitatem, esuriit.  
 19. Et cum vidisset fici (arborem) unam in via, venit ad eam & nihil invenit in ea nisi folia tantum: & ait illi: ne posthac ex te fructus nascatur in aeternum: & arefacta est continuo ficus.

## MARC. 11.

12. Καὶ τῇ ἐπιούριον ἐξελεύσονται αὐτῶν ἀπὸ Βηθανίας, ἐπεινώσασθε.  
 13. Καὶ ἰδὼν συκῆν μακρόθεν, ἐρχομένην Φύλλα, ἦλθεν εἰς αὐτήν, εὗρεν τι ἐν αὐτῇ καὶ ἔλθων ἐπ' αὐτήν εὐδὲν εὗρεν εἰ μὴ Φύλλα· & γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.  
 14. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτῇ· μηκέτι ἐκ σὺ εἰς τὸν αἰῶνα μηδεὶς καρπὸν Φάγοι· καὶ ἤκουον οἱ μαθηταὶ αὐτῆς.  
 15. Καὶ ἔρχονται εἰς Ἱερσόλυμα· καὶ εἰσελθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερόν, ἤρξατο ἐμβαλεῖν τὰς πωλητῶν καὶ ἀγοραζόντων ἐν τῷ ἱερῷ καὶ τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν καὶ τὰς καθέδρας τῶν πωλητῶν τὰς περὶ τὴν ἑστῆσαν.  
 16. Καὶ ἐκ ἤφην, ἵνα τις διενέγκῃ σκεῦος διὰ τὸ ἱερόν.  
 17. Καὶ ἐδίδασκε λέγων αὐτοῖς· & γέγραπται· ὅτι ὁ οἶκος μου αἰὼν ἰεροσολύμων κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν· ὑμεῖς δὲ ἐποιήσατε αὐτὸν σπηλαῖον λησῶν.  
 18. Καὶ ἤκουον οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ ἐζητήθη πρὸς αὐτὸν ἀπολέσασθαι· ἐφοβήθητο γὰρ αὐτὸν, ὅτι πᾶς ὁ ὄχλος ἐξεπλήροσε ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.  
 19. Καὶ ὅτε ἀπέ ἐγένετο, ἐξεπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως.
12. Et postero die, cum exissent Bethaniā, esuriit.  
 13. Cumque vidisset (arborem) fici procul, habentem folia, veniebat, si videlicet inventurus esset aliquid in illa: Et cum venisset ad illam, nihil invenit nisi folia: non enim erat tempus ficorum.  
 14. Et respondens Jesus, dixit fici: ne posthac ex te in aeternum quisquam fructum edat: Et audiebant discipuli illius.  
 15. Veniuntque Hierosolyma: & ingressus Jesus in templum, cepit ejicere eos, qui vendebant & emebant in templo, & menlas argentariorum & sellas vendentium columbas subvertit.  
 16. Et non permisit, ut quisquam deportaret vas per templum.  
 17. Et docebat, dicens illis: nonne scriptum est: domus mea domus precationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum.  
 18. Et audierunt Scribae Principesque Sacerdotum, & querebant, quomodo illum essent perdituri: timebant enim eum, quod tota turba admirabatur doctrinam illius.  
 19. Et cum vespere jam esset, egressus est Jesus e civitate.

## JOH. 12.

44. Ἰησοῦς δὲ ἐκάλει, καὶ εἶπεν· ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, & πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με.  
 45. Καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ, θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με.  
 46. Ἐγὼ Φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, ἵνα πᾶς ὁπίσθου εἰς ἐμὲ, ἐν τῇ σκοτίᾳ μὴ μείνῃ.  
 47. Καὶ εἰς τὸν μὴ ἀκούον τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ πιστεύον, ἐγὼ & κρινώ αὐτόν· & γὰρ ἦλθον, ἵνα κρινώ τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον.  
 48. Ὁ ἀδικῶν ἐμὲ καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου, ἐχει τὸν κρινόντα αὐτόν· ὁ λόγος, ὃν ἐλάλησα, ἐκείνῳ κρινεῖ αὐτόν ἐν τῇ ἑσχάτῃ ἡμέρᾳ.  
 49. Ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ ἐκ ἐλάλησα· ἀλλ' ὁ πέμψας με, πατήρ, αὐτὸς μοι ἐντολὴν ἔδωκε, τί εἴπω καὶ τί λαλήσω.  
 50. Καὶ οἶδα, ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐστίν· ἃ ἐν λαλῶ ἐγὼ, καθὼς ἐλάλη μοι ὁ πατήρ, ἃ ἔω λαλῶ.
44. Jesus autem clamavit & dixit: qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.  
 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.  
 46. Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.  
 47. Et si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non judico eum: non enim veni, ut judicem mundum, sed ut servem mundum.  
 48. Qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui judicet ipsum: Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in extremo die.  
 49. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatam dedit, quid dicam, & quid loquar.  
 50. Et scio, quod mandatam ejus vita aeterna est: que ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM  
HUIUS HISTORIÆ.

Matthæus verba, quibus Christus ficui maledixit, sic describit: *Ne posthac fructus ex te nascatur in sempiternum*; Marcus ea sic effert: *Ne posthac ex te in æternum quisquam fructum edat*. Quidam igitur statuunt, Matthæum, verba formalia, quibus Christus usus est, utpote ἀντανυστῶν describere; Marcum vero sensum duntaxat eorum retulisse, cum ponat finem, pro destinato ad finem; ideo enim Dei providentiæ & benignitate fructus ex arboribus nascuntur, ut homines illis vescantur, sensus igitur erit: posthac nemo ex te fructum edere poterit, quia non nascetur ex te amplius fructus. Quidam contra statuunt, Marcum, qui post Matthæum scripsit, verba formalia, quibus Christus usus est, ex Petri relatione audita, expressisse; Matthæum vero sensum duntaxat secutum, ante-

cedens pro consequente posuisse. Si enim nullus in æternum ex hac arbore fructum edet, utriusque etiam nullus ex ea in æternum nascetur fructus. Sed verisimilius est, Christum utrisque formalibus usum, ac primum quidem illis, quæ existant apud Matthæum, *ne posthac fructus ex te nascatur in sempiternum*; deinde etiam illis, quæ existant apud Marcum, *ne posthac ex te in æternum quisquam fructum edat*, ut sic repetita imprecatio Christum rem maximè seriā agere, & in hac maledictione ficus altius quid spectare ostendat. Sic ergo coagmentabimus Harmoniam, ut verba imprecationis ex Matthæo primo loco ponamus, & insertā particulā copulativa illis verba imprecationis ex Marco subjungamus.

*Harmonia Historia de ficus maledictione, repetitâ templi repurgatione, & valedictoriâ Christi de suo officio concione.*

Πρώτῃς ἡ καὶ τῇ ἐπαύριον ἐπανέειπον (ὁ Ἰησοῦς) εἰς τὴν πόλιν, ἐξελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς Βηθανίας, ἐπεινάσε. Καὶ ἰδὼν μακρόθεν συκὴν μίαν ὅπῃ τῆς ὁδοῦ, ἐχρῆσαν φύλλα, ἦλθεν ἐπ' αὐτὴν, εἰ ἄρα εὐρησθή τι ἐν αὐτῇ. καὶ ἐλθὼν ἐπ' αὐτὴν, εὗρεν οὐκ ἐν αὐτῇ εἰ μὴ φύλλα μόνον, ἃ γὰρ ἦν καιρὸς συκῶν. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν καὶ λέγει αὐτῇ. Μηκέτι ἐκ σῆ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα. (καὶ) μηκέτι ἐκ σῆ εἰς τὸν αἰῶνα μηδεὶς καρπὸν φάγοι. καὶ ἦκον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. καὶ ἐξηράθη ὡρα ῥημά ἢ συκῆ. Καὶ ἐρχονται εἰς Ἱερουσόλυμα. καὶ εἰσελθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερόν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τὰς πωλῆντας καὶ αἰγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ. καὶ τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν καὶ τὰς καθέδρας τῶν πωλῆντων τὰς πεδιστρὰς κατέστρεψε. καὶ ἐκ ἤφριεν, ἵνα τις διενέγκῃ κρητὸν ἀφ' ἐκεῖ. καὶ ἐδίδασκε, λέγων αὐτοῖς. ἃ γέγραπται. ὅτι οὗ οἶκος μου, οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πασι τοῖς ἔθνεσιν; ὑμεῖς ἡ ἐποίησατε αὐτὸν ἀγῆλαιον ἱερῶν. καὶ ἦκσαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ἐζήτησαν πῶς αὐτὸν ἀπολέσασιν. ἐφοβήθη γὰρ αὐτὸν, ὅτι πᾶς ὁ ὄχλος ἐξέσπλησε τὸ ἱερόν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. Ἰησοῦς ἡ ἔρχατο, καὶ εἶπεν. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ἃ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με. καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ, θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με. ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλάλησα, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐκ ἐν σκότειά μου μένῃ. καὶ ἐάν τις με ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ πιστεύσῃ, ἐγὼ ἃ κρίνω αὐτόν. ἃ γὰρ ἦλθον, ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον. Ὁ ἀβέβαιος ἐμὲ καὶ μὴ λαβάνων τὰ ῥήματα μου, ἐκεί τὸν κρίνω. αὐτὸν ὁ λόγος, ὃν ἐλάλησα, ἐκείνους κρίνει αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ ἃ ἐλάλησα. ἀλλ' ὁ πέμψας με, Πάτερ, αὐτὸς μοι ἐντολὴν ἔδωκε, τί ἄπω, καὶ τί λαλήσω. καὶ οἶδα, ὅτι ἡ συνέβη αὐτῷ ζωὴ αἰώνιος ἐστίν. ἃ ἐν λαλῶ ἐγὼ, καθὼς εἶρηκέ μοι ὁ Πάτερ, ἃ τὼ λαλῶ. καὶ ὅτε οἶψά ἐγένετο, ἐξέπορεύετο ἐξ ἐγὼ τῆς πόλεως.

Mand autem, & (quidem) postero die, revertens (Jesus) in civitatem, cum exissent Bethania, esuriit. Et cum vidisset procul (arborem) ficu unam in via, habentem folia, venit ad eam, si videlicet inventurus esset aliquid in illa: & cum venisset ad illam, nihil invenit in ea, nisi folia tantum, non enim erat tempus scorum. Et respondens Jesus, ait & dixit ficui: ne posthac ex te fructus nascatur in æternum: (&) ne posthac ex te in æternum quisquam fructum edat: (&) ne posthac ex te in æternum quisquam fructum edat: & audiebant discipuli illius: & a-refacta est continuò ficus. Veniuntque Hierosolyma: & ingressus Jesus in templum, cepit ejicere eos, qui vendebant & emebant in templo, & mensas argentariorum & sellas vendentium columbas subvertit. Et non permisit, ut quisquam deportaret vas per templum. Et docebat, dicens illis: Nonne scriptum est, domus mea, domus precatationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem se-cistis eam speluncam latronum. Et audierunt Scriba & Principes Sacerdotum, & querebant, quomodo illum es-sent perdituri: timebant enim eum, quod tota turba ad-mirabatur doctrinam illius. Jesus autem clamavit & dixit: qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui mi-sit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non judico eum: non enim veni, ut judicem mundum, sed ut servem mundum. Qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui judicet ip-sum: Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in extremo die: Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dic-am, & quid loquar. Et scio, quod mandatum ejus vitæ æterna est: qua ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Et cum vespera jam esset, egressus est Jesus e civitate.

## Exegetis hujus Historia.

Luc. 13. versic. 6. post seriam exhortationem ad poenitentiam, & comminationem exitii omnibus impoentibus metuendi, Christus auditoribus suis proposuit ejusmodi parabolam. *Arborem fici habebat quidam in vinea sua plantatam, & venit querens fructum in ea & nihil invenit. Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce, anni tres sunt, ex quo venio querens fructum in hac ficu, & non invenio, succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At illa respondens dicit illi: Domine, sine eam etiam hunc annum, usquequo fodero circa eam, & apposuerit sterco. Et si quidem tulerit fructum (lines,) minus, in futuro succides eam.* Huic parabolae exactissimè respondet Historia de maledictione ficus in hac pericope descripta. Utrobique enim per ficum sterilem primò & principaliter præfiguratur Synagoga Judaica, foliis quidem ornata, hoc est, *labiis Deo appropinquans*, Es. 29. versic. 13. Matth. 15. versic. 8. Marc. 7. versic. 6. Legis Moisaica communicationem, sui in peculiarem Dei populum electionem, gratiosam Dei in templo Hierosolymitano habitationem, ceremoniarum observationem, quotidianam sacrificiorum oblationem, ac traditionum fidelem custoditionem, verbis ad fastum compositis perpetuò jactans: sed fructibus interim destituta, hoc est, verâ pietate & sincerâ cordis obedientiâ prorsus carens, adeoque *speciem quidem pietatis habens, virtutem autem ejus abnegans*, 2. Tim. 3. versic. 5. Per tres annos, quibus vineæ & ficus hujus Dominus fructum expectavit, quidam intelligunt triplicem gubernationem, quæ in illo populo fuit instituta, videlicet Judicium, Regum & Ducum; quidam triplicem visitationem, quâ Deus populum hunc invisit, & ad ferendos fructus invitavit, videlicet promulgatione Legis per Moysen, extraordinariâ ablegatione Prophetarum, & tandem ipsius Filii sui missione. Sed commodissimè per hosce tres annos intelligitur tempus ministerii Christi in his terris suscepti, quia Christus hanc parabolam proponens jamdum sequitriennium in hoc populo erudiendo consumserat, doctrinam suam divinis miraculis confirmaverat, beneficiendo & sanando omnes à diabolo oppressos totam Judæorum regionem tribus illis ministerii sui annis pertransierat, Actor. 10. versic. 38. sed cum maxima pars illius populi in sua incredulitate, contemptu Messia, & impoentia pertinaciter perseveraret, omnesque informationes, exhortationes & comminationes repudiaret: ideo exacto jam ultra tres annos Christus tanquam cœlestis ἀμπελουργός sententiam damnationis in ficu typica exequitur, & quid Synagoga Judaica per ficum præfigurata, ex justo Dei judicio, propter continuatam illam sterilitatem in posterum expectandum vel potius metuendum sit, omnibus ab oculo ponit. De hac maledictione ficus in prima hujus pericopes parte agitur. Altera repetitam templi repurgationem exponit. Tertia valedictoriam Christi de suo officio concionem continet.

I. In Historia de ficus maledictione & arefactione consideranda primò sunt τὰ προηγούμενα sive antecedentia, ad quæ pertinet primò circum-

stantia temporis, quam Evangelistæ exponunt tum in genere, quod contigerit hæc Historia τῇ ἐπιταφίῳ, postridie illius diei, quâ Christus Hierosolymam Regiâ & solenni pompâ ingressus fuerat, adeoque die 4. ante passionem 21. Martii, (ut plerique numerant) die Lunæ sive feriâ secunda magne illius & pœnosæ, ut à veteribus vocatur, hebdomade: tum in specie, quod facta fuerit πρώτης, subaudi, γωμείνης, matutinâ factâ, scil. ὥρας, horâ sive tempore, sicut dicitur ὁ Σίνας γωμείνης, pro tempore vespertino, Matth. 20. versic. 8. Secundo circumstantia loci, quod contigerit in via, quâ Christus cum discipulis suis Bethaniâ, quo pridie circa vesperam sese contulerat, Hierosolymam iterum perrexit. Ἐπιταφίῳ alias significat reducere, Luc. 5. versic. 3. & 4. hic verò ponitur ἀμπελουργός, intransitivè, pro redire ac reverti, quo sensu usurpatur, Sir. 26. versic. 37. 2. Maccab. 9. versic. 21. Syrus reddidit per τὴν, convertit se, reversus fuit, in qua significatione usurpatur, Matth. 2. versic. 12. Luc. 19. versic. 15. Quod Christus in hoc itinere discipulos suos in comitatu habuerit, apparet ex plurali ἐξελθόντων. Syrus, & vulgatus Interpres Latinus reddiderunt in singulari, cum exisset. Sed Græci Codd. omnes habent plurale, & ex sequentibus intelligitur, discipulos, & viâ comites, & miraculi spectatores fuisse. Bethaniâ Hierosolymam proficiscentibus latus montis oliveti fuit pertransendum, in quo plurimæ frugiferæ arbores oleæ, præsertim & ficus, fuerunt, sicut etiam viculus Bethphage ad montem oliveti situs, à copia ficuum nomen habere quibusdam creditur: ex quo intelligi potest, ipsam viâ conditionem objectum miraculi videlicet sterilem aliquam ficum Christo exhibuisse. Potest autem hæc temporis & loci circumstantia de multis utiliter nos monere. Christus præcedente die palmarum in templo Hierosolymitano docuerat, miraculis gloriam suam manifestaverat, cum Phariseis & Scribis disputaverat, vendentes & ementes è templo ejecerat, adeoque nihil vicquam, quod ad officii Prophetici partes videbatur pertinere, prætermiserat, nihilo tamen minus die postero Bethaniâ, quò circa vesperam diverterat, & quidem πρώτης summo manè Hierosolymam revertitur, ut denuo in templo doceat, vendentes & ementes iterum ex eo eiciat, & in cursu vocationis suæ constanter pergat, quâ in re exemplum diligentia in operibus vocationis peragendis nobis exhibere voluit. Non patitur se deterreri extremâ urbis ingratitude, quæ ne pernoctantem quidem ferre potuit, quò minus in ea docere & miraculædere pergat: sed hesternâ injuriæ immemor, in urbem docendi & beneficiendi causâ manè redit, insistamus & nos hisce Christi vestigiis, nec à munere docendi & beneficiendi mundi ingratitude nos revocari patiamur. Hierosolyma erat locus docendi maximè oportunus propter incolarum & peregrinorum, qui ad Paschatos festum venerant frequentiam, ac Historia diei præcedentis, videlicet regius Christi in urbem ingressus, templi repurgatio, claudorum ac cæcorum sanatio, desiderium Græcorum ipsum videre cupientium, auditoribus & spectatoribus

Hic-

Hierosolymitanis erat adhuc recens, voluit igitur eos verbis & factis suis confirmare, & alios insuper ad salvificam sui cognitionem perducere, ut ante mortem propediem imminentem seminaria veritatis in multorum cordibus spargeret. Ut autem non deterretur urbis hospitium recusantis ingratitude, ita nec periculis, quæ à Pontificibus, Scribis & Primoribus plebis sibi imminere noverat, quippe qui in necem ipsius jam conjuraverant. Sponte in urbem hostilem redit, ut ostendat, se animo voluntario ad passionem proximè instantem semetipsum offerre, nec ita exhorrescere mortem, ut metu illius officium suum velit intermittere, redit, ut omnem calumniandi occasionem, quam ex secessu ipsius in Bethaniam aduersarii quærere poterant, præscindat, ac factò ipso ostendat, se non eo animo deseruisse ingratam & hostilem urbem, quasi ad eam reverti nolit, sed quod studio tranquillitatis ab ea paululum declinaverit. *Cum dilexisset suos in mundo, in finem dilexit eos*, Johan. 13. vers. 1. cum toto vitæ & ministerii sui tempore plurimum laborasset, peculiariter tamen circa finem vitæ & ministerii multos labores docendi causa sustinuit, proinde etiam desiderium eorum, qui ab ore ipsius in templo docentis pendebant, & reditum ejus cupidissimè expetebant, Luc. 19. v. 48. frustrari noluit. *Populus diluculo veniebat ad eum in templum, ut audiret illum*, Luc. 21. vers. 38. In Græco est ἀποδειξέ, quasi dicatur, *matutinabat, diluculabat*, quo modo Hebræi utuntur verbo מַטְרִינָה, Genes. 19. vers. 27. Voluit igitur etiam ipse summo manè in templum redire, & ad docendum sese promptum offerre. Videbantur Hierosolymis omnia deplorata, & omnes in ipsius odium conspirasse: sed Christus nihilominus in munere docendi perrexit, quia aliquot adhuc supererant, qui veritati locum relinquebant, quanto æquius est, ut & nos prædicationi instemus *ἐναίσιμος, ἀναίσιμος*, 2. Tim. 4. vers. 2. ut aliquos Deo lucrificamus? Nec expectat Christus, donec ad templum ordinarium docendi locum veniat: sed in ipsa viâ specimen divinæ suæ potentiae in ficus maledictione edit, & discipulos suos de virtute fidei miraculosè instruit, ut, nullam bonè agendi & docendi occasionem nobis prætermittendam esse, discamus. Potest & hoc observari, quod maledictionem ficus ejectione vendentium & ementium ex templo & præcedit & sequitur. Quod enim per maledictionem ficus obscurius significatur, illud per ejectionem istam manifestius explicatur, videlicet Judaicum populum propter incredulitatem, bonorum operum sterilitatem, & peccatorum gravitatem ex templo, urbe & regione ejiciendum, maledictioni subjiciendum, & omni virore penitus privandum. Ipsa etiam hæc temporis & loci circumstantia commentarium totius Historiæ nobis exhibet, & ostendit, quo fine Christus hæc omnia fecerit. Quod enim summo mane ad ingratam & hostilem urbem redit, eo ipso ostendit, quod salutem Israëlitiçi populi spirituali quadam esurie ac siti desideret, cujus symbolum erat esuries, quam Christus in via sentiebat; quod ad ficum abiit, fructum in ea quærens, eo significat, quod fidei & bonorum operum fructus à Judæis exigat; quod fructum non inveniens ficui maledicit, ostendit, in propinquo esse, ut pro-

pter contentum Messias, & sterilitatem bonorum operum, justo Dei judicio sint excidendi, & maledictioni temporali & æternæ subjiçendi, cum per triennium integrum, & quod excurrit, in ipsis ad meliorem frugem reducendis frustra hæctenus laboraverit. Præcedenti die Christus in templo dixerat: *Ambulate, donec lucem habeatis, ne vos tenebræ comprehendant*; quod tum temporis verbis docuerat, idem factò parabolico hic docet. Ficui enim maledicens & imprecatione suâ ariditatem ei inducens reipsa sic loquitur: *Dum tempus habeatis, bonè operemini*, Galat. 6. vers. 10. ne ob sterilitatem maledictio vos comprehendat.

Tertium locum inter πεινῶν ἰδὼν obtinet occasio, quæ est Christi esuries. Cum enim Bethaniâ egressus Hierosolymam summo mane pergeret, *ἐπεινῶν ἐsurit*, & famis hujus sedandæ causâ ad ficum è longinquo visam abiit, *fructus in ea quærens*. Πεινῶν interdum metaphoricè usurpatur de quovis desiderio, sicut apud Xenoph. pædag. 8. dicitur, πεινῶν ἰδὼν μάταιον, ac de spirituali esurie accipitur, Matth. 5. v. 6. Luc. 1. v. 53. sed propriè significat esurie, famem sentire. Syrus habet verbum ܦܦܦ, quod Hebræis significat *collegit, contraxit*, quia tempore famis & penuriæ, præsertim in caritate annona omnia sunt collecta, contracta, rara & cara. De hac esurie Christi statuit Euthymius, quod non fuerit vera, sed duntaxat simulata, quodque Evangelistæ retulerint, non quid Christus re verâ senserit, sed quid Apostolis sentire visus fuerit. Esurienti erat de via ad ficum deflectere, ficus in ea quærere, &c. ex quo judicant Apostoli, Christum esurisse, quæ sententia confirmari posset ex eo, quod erat adhuc tempus matutinum, quo nondum solet famem sentire, quo argumento Petrus, Actor. 2. v. 15. probat, Apostolos nec sitire nec ebrios esse, quodque propter occasionem miraculi videatur esurienti fingere. Ut enim finxit se in ficu fructum quærere, cum non ignoraret ficum fructibus carere, ut occasione haberet miraculum edendi; ita videtur ex eadem causa statuentium, quod finxerit se esurie, sicut etiam Luc. 24. v. 28. *finxit se longius itinerum*. Sed rectius statuitur, esurientem hanc non fuisse simulatam, sed veram, 1.) quia nullus Evangelistarum vel verbulo innuit, hanc esurientem fuisse simulatam: sed simpliciter dicunt, *Christum esurisse*. 2.) Si liceret de simulata esurie id exponere, quando Christus dicitur esurisse, tum Marcioni etiam liceret de simulata passione id exponere, quando Christus dicitur passus, ex qua passionis simulatione tandem etiam simulata redemptio sequeretur, adeoque totum incarnationis & redemptionis mysterium ad nudam duntaxat δόκησιν referretur. 3.) Quia verbum ἐπεινῶν de vera & non simulatâ fame ubique ab Evangelistis usurpatur, utpote de Davide, cum sociis panes propositionis ad famem sedandam expetente, Matth. 12. v. 3. Marc. 2. v. 25. Luc. 6. v. 3. de discipulis spicas vellentibus, quibus famem sedarent, Matth. 12. v. 1. de Christo post quadraginta dierum ac noctium jejunium esuriente, Matth. 4. 2. Luc. 4. 2. quam veram & non simulatam fuisse famem, certum est. 4.) quia nulla nos cogit ratio, ut à licera hoc loco discédamus. Quod temporis rationem attinet, illa veritati famis non adversatur, ut paulò post videbimus. Nec ex eo, quod famis miraculo huic occa-

occasionem dederit, firmiter probari potest, eam fuisse simulatam, potest enim utrumque simul optime consistere, quod Christus verè esurierit, quodque hæc esuries occasione miraculo dederit. An Christus finxerit tantum se fructus in ficu quærere, an verè ignoraverit secundum hominem, ficum fructibus carere, de eo postmodum dispicietur. Præsupposito igitur eo, quod hæc Christi esuries fuerit vera, & non simulata, porro quæratur, an hæc esuries *οικονομίας*, hoc est, dispensativè à Christo fuerit assumpta, & spontè excitata, an verò fuerit naturalis. Chrysostomus, homilia 67. in Matth. statuit prius, *ὅτι ὡς ἐχάρισε τῇ Καρδί, τὸ πρὸς τὸν δένδρον αὐτῆς ὁ παῖς ὁ, quando carni concessit, tunc ipsa affectionem suam ostendit.* Idem probatur Augustino, lib. 2. quaest. Evang. cap. 51. Lyrano in cap. 21. Matth. & aliis compluribus. (1.) quia nondum aderat justum comedendi tempus, quo naturaliter fames sentiri coepit, Johan. 4. versic. 6. Christus *sitit*, sed defatigatus ex itinere, & *enit boni quæsi sexta*: hic verò erat adhuc manè, ac vix dum quindecim stadia eundo confecerat. (2.) quia dubio procul vespèræ præcedentis diei hospitio & cœna à Lazaro Bethaniæ fuit exceptus. (3.) Sicut dispensatione, quadam accessit ad ficum fructum ex ea quærens, quo esuriem saturaret, cum sciret, *non esse tempus ficuum*, ac dispensativè ficum, eò quod non haberet fructum, execratus est: ita quoque dispensativè ex libera voluntate esuriem illam assumpsit. (4.) Sicut Matth. 8. versic. 24. tempestas, quæ ipso cum discipulis navigante exorta est, non fuit naturalis, sed ipsius voluntate & studio, vel certè permissione excitata, ut occasionem haberet in sedandis maris fluctibus, & ventorum turbinibus divinam suam potestatem demonstrandi: sic fames hæc itidem videtur non fuisse naturalis, sed voluntaria, & spontè accersita, ut causam haberet miraculum edendi. Et sanè, si per *οικονομίαν* hoc intelligitur, quod Christus non fuerit ex absoluta quadam naturæ necessitate fami & aliis infirmitatibus subiectus, sed spontè eas suscepit, facile concedimus, hanc Christi famem fuisse voluntariam & dispensativam. Cum enim assumptum Christi corpus non sit corpus *ψιδὲ ἀβήρωτε*, sed ipsius Filii Dei proprium corpus, in quo *totā plenitudo Deitatis Filii personaliter habitat*, Coloss. 2. versic. 9. ideo Christus, si divinam suam potentiam in primo incarnationis momento assumptæ naturæ verè & realiter communicatam plenario usu in carne & per carnem exerere voluisset, potuisset sine ullo labore, famem, sitim & alias infirmitates humanas ab hoc proprio suo & personaliter τῷ λόγῳ unito corpore prohibere, salvâ interim humanæ naturæ integritate, sicut post resurrectionem fami & siti aliisque *θνηταῖς δυσχεραῖς* non amplius fuit subiectus, cum tamen verum corpus humanum retineret, ac sicut electi in vitâ aeterna *non esurient nec sitient*, Esai. 49. versic. 10. Apocal. 7. versic. 16. cum tamen futura sint ipsorum corpora vera humana corpora. Ostendit etiam Historia Evangelica, Christum interdum, & particulariter radios quosdam hujus divinæ majestatis & potentiae carni realiter comunicatæ exeruisse, utpote, Johan. 4. versic. 31. *cum esset boni dies sexta*, & à discipulis ad manducandum invita-

retetur, respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos non novistis*, eo ipso ostendens, se nullam adhuc sentire famem naturalem: ac postquam quadraginta dierum & noctium jejunium circumcinctus virtute Altissimi sustinisset, dum demum *esuriit*, Matth. 4. versic. 2. Luc. 4. versic. 2. Potuisset igitur majestatem sibi communicatam in prohibenda & depellenda à corpore suo esurie plenarie & semper usurpare, si voluisset, potuisset absque cibo & potu, absque esurie & siti curriculum vitæ suæ in his terris exigere: sed ut Apostolus docet, Phil. 2. versic. 7. *spontè seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum existens*, versic. 8. *habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, &c.* Proinde etiam in & cum natura humana *φυσικῶν καὶ ἀδιαιρέτων παθῶν naturales & irreprehensibiles* passiones, ut loquitur Evagrius, libr. 4. cap. 39. infirmitates scilicet humanas absque peccato & non ex conditionis necessitate, sed ex *miserationis affectu* suscepit, tum ut veritatem humanæ naturæ à se assumptæ demonstraret, quam non solum essentialibus proprietatibus, quas in æternum retinet: sed etiam accidentalibus illis *δυσχεραῖς*, quas in statu gloriæ unâ cum forma servi deposuit, manifestam facere voluit, quia natura humana non aliter erat nota hominibus, nisi prout defectibus illis subiacebat; tum ut satisfaceret pro peccato Adæ & omnium posterorum ejus peccatis, hujusmodi enim defectus, fames, sitis, &c. sunt pœnæ peccatorum: jam verò qui peccatorum nostrorum pœnas in se suscepit, cum ipse omnis peccati expertus sit, is etiam pro peccatis nostris satisfecit. *Particeps factus est infirmitatis nostræ, non iniquitatis, ut per infirmitatem communem solveret iniquitatem nostram*, ait Augustinus, epist. lib. 142. tum ut per sanctos & puros suos affectus peccatrices ac contaminatas nostros affectus sanctificaret; tum ut exemplum patientiæ & tolerantiae in sustinendis illis passionibus nobis exhiberet; tum denique ut nobis magis assimilaretur, ac sciret *compati infirmitatibus nostris*, sicque majori fiducia ad ipsum accederemus, Hebr. 2. versic. 17. & 18. cap. 4. versic. 15. Hoc ipsum si per œconomicam & dispensativam esuriei assumptionem intelligatur, facile largimur, uti diximus, Christum non ex naturæ quadam necessitate, sed ex libera *οικονομίᾳ* & voluntate, ut alibi, ita etiam hic, esuriem in his terris sensisse, sicut etiam totum incarnationis mysterium *οικονομίᾳ* à veteribus solet appellari. Sed hæc *οικονομία* non impedit, quo minus statuamus, veram & naturalem hanc fuisse Christi famem ex causis naturaliter agentibus & non impeditis in ipso excitatam. Quia enim die proximè antecedente docendi laboribus ad vespèram usque occupatus fuerat, parum vel nihil cibi post vespèram sumserat, ac noctem totam, vel certè maximam ejus partem, ob meditationem instantis mortis, & serias preces ad Patrem cœlestem fundendas, in somnum duxerat, quin & summo manè iter facere coepèrat: ideo esuries hæc naturaliter etiam matutino tempore accidere potuit. Quod si namque CHRISTUS in monte oliveti voluit *ἀγωνισθῆναι ἐν προσευχῇ τῷ θεῷ*, cum Apostolos sequenti die eligeret, ut vocationem & officium ipsorum ardentissimis precibus Patri cœlesti commendaret, Luc.

Luc.



Luc. 6. v. 12. & 13. quanto magis noctes illas passionem proximè antecedentes maxima ex parte fundendis ad Deum precibus impendisse, & in somnes traduxisse judicandus est, ut redemptionis opus Deo commendaretur? Quod innuere videtur Lucas, quando cap. 21. vers. 37. *ipsum interdum docuisse in templo, noctibus verò commoratum fuisse in monte oliveti*, in quo priùs aliquoties vigiles noctes ob serias preces fundendas traduxerat. Infirmum est argumentum, quo Tostatus quaest. 102. in cap. 21. Matth. probare conatur, hanc non fuisse naturalem, sed supernaturalem famem. *Si esuriisset, inquit, naturaliter, non ivisset illà hora ad capiendum cibum, quia inhonestum erat, tali horâ manducare, cum dicatur, Eccles. 10. versic. 16. Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & Principes ejus manè comedunt; Christus autem erat omnis virtutis exemplar, ideo non comederet tali tempore.* Atqui post præcedentis diei jejunium & noctem in precibus insomnem traductam matutino tempore reficiendarum virum causa cibum appetere, toto caelo distat à luxuriosa eorum voracitate, qui genio suo indulgent, ciborum delicias summo manè sectantur, & hesternam crudelitatem sequentis diei crapulâ suffarcinant. Ibidem ex eo probare conatur, non fuisse naturalem famem, quia fuerit *significativa famis spiritualis*. Sed in typicis & parabolicis factis veritas rei ex causis naturalibus existentibus non tollitur per significationem. Potuit igitur Christus naturalem famem sentire, & nihilominus per eam spirituales salutis humanæ famem significare, cum non simpliciter ex naturæ necessitate, sed ex libera voluntate famem unâ cum ceteris infirmitatibus suscepit. Quia salutis nostræ sitim habuit, ideo famem, sitim & alias passiones suscepit, quidni ergo fames & sitis ipsius corporalis famem & sitim ipsius spiritualem significare posset, cum omnis effectus arguat suam causam? Erat tum Christus in statu exinanitionis, in quo formâ servi sumit in similitudine hominum constitutus habitu inventus fuit ut homo, Philip. 2. versic. 7. itaque sicut alius homo famem & sitim passus est, & urgente fame cibum quæsit. Sicut verè & naturaliter, more aliorum hominum, in statu exinanitionis comedit; ita quoque verè & naturaliter, more aliorum hominum, famem sensit. *Fames illum incessit*, ait Nicephorus, lib. 1. Histor. cap. 27. quod proprium erat humana conditionis. Interim illa ipsa vera & naturalis Christi fames potuit esse alterius cujusdam rei *significativa*, sicut etiam fuit *meritoria*, cum ipse Dei Filius, ut alias passiones & infirmitates; ita quoque famem sponte suscepit, & in proprio sibi que personaliter unito corpore eam senserit, quorum neutrum de naturali aliorum hominum fame dici potest. Nec metuentum, ne ex famis impatientiâ Christus ficui maledixisse videatur, si fames istâ naturalis fuerit. Ejusmodi enim suspicio non cadit in eum, qui omnis peccati ac proinde etiam impatientiæ penitus fuit expertus, Esa. 53. versic. 9. Hebr. 7. versic. 26. 1. Petr. 2. versic. 22. qui per quadraginta dies & noctes sine ulla impatientiæ significatione jejunaverat, Matth. 4. versic. 2. quanto studio prædicationi Verbi institit, ut à cibo etiam propterea quandoque abstineret, Marc. 3. versic. 22. Johan. 4. versic. 1. ac potuis-

set in animis audientium hanc fides execrationem suspicio illa oriri, five vera, five simulata, five naturalis, five supernaturalis hæc fames statuatur, cum exterius discernim illud minime poterit animadverti, nisi aliunde constaret, Christi animum ab omni impatientia esse remotissimum. Quod si ergo talis *divinatio* intelligatur, quæ excludit causas naturaliter agentes, ac statuit, Christum immediatè in corpore suo divinâ virtute, famem excitasse, quo ferè sensu Christus post resurrectionem *divinatio* manducasse dicitur, cum in corpore glorificato non habeant locum, causæ naturales famis, negamus, hanc Christi famem, quam in statu exinanitionis in corpore nondum glorificato, sed humanis infirmitatibus adhuc subiecto, sensit, esse eo sensu *divinatio* ad dispensativam, sed veram & naturalem, eandem fuisse statuimus. Hæc ergo fames Christi, 1. est *veræ humanitatis argumentum*, sicut etiam ea, quam post quadraginta dierum ac noctium jejunium sensit, Matth. 4. versic. 2. ac sitis, quam sensit, Johan. 4. versic. 6. cap. 19. versic. 28. Neque enim humanæ illæ infirmitates in ipso locum habere potuissent, nisi fuisset, & adhuc esset verus homo. *Non est aliqua passio*, ait Tostatus, *magis ostendens veritatem humane nature, quam fames, quæ est ad conservationem individui, ergo Christus eam suscepit.* Si enim non pateretur famem, non uteretur cibo, quia esset supervacaneum; & si non uteretur cibo, nemo eum hominem putaret, sed phantasticum habere corpus, cum cibis utentem & agentem, quæ ceteri homines agunt, docuerint quidam heretici non habuisse verum corpus humanum. Ubi tamen notandum, à positione istarum infirmitatum & passionum, ad positionem veræ humanæ naturæ in persona, corpore & anima rationali constante rectè concludi; sed à remotione istarum infirmitatum & passionum ad remotionem veræ humanæ naturæ non posse procedi, cum Christus in statu gloriæ infirmitates illas ad formam servi pertinentes deposuerit, & tamen verus homo manserit, cumque infirmitates illæ non sint naturæ humanæ essentielles, sed accidentales, ut exemplo glorificatorum corporum apparet. 2. Est *nostrum meritum*. Voluit enim Christus suâ fame & siti, præsertim eâ, quam postea in cruce inter gravissimos cruciatus sensit, ingluviem primorum parentum, & nostram, expiare, ac coram judicio Dei nobis hoc promereri, ne in foveâ inferni, in qua non est aqua, Zach. 9. versic. 11. fame & siti in æternum torqueamur, (damnatorum enim miseria per intolerabilem famem ac sitim in sacris literis nobis describitur, Luc. 6. versic. 25. cap. 16. versic. 24.) sed ut satiemur visione Dei, Psalm. 17. versic. 15. ab omni esurie ac siti immunes, Apocal. 7. versic. 16. unde dulcissimam promissionem nobis proponit, Johan. 6. versic. 35. *Qui venerit ad me, non esuriet; & qui crediderit in me, non sitiet in æternum.* 3. Præbet nobis fiducia in Christum *fulcimentum*. Quia enim in omnibus tentatus est sicut nos, sine peccato; ideo etiam compati potest nostris infirmitatibus, Hebr. 2. versic. 17. *Dedit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta populi.* versic. 18. *In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari.* c. 4. 15. Non habet.

*habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia in similitudine absq; peccato.* 4. Exhibet nobis *tolerantiae exemplum*, si quando famem & indigentiam in persecutionibus vel pœnis publicis experiri cogamur, ut cogitemus, Christo nos oportere etiam hac in parte conformes fieri, & vestigiis ipsius insistere. Quia Christus in proprio suo corpore famem sustinuit; ideò expertus novit, quomodo affecti sint, qui cum esuriunt, cibo & aliis necessariis destituuntur. Solemur igitur nos ipsius exemplo, & impositam indigentiam crucem prompto animo suscipiamus. Voluit insuper Christus temperantiam ac frugalitatem, in cibo & potu, suo exemplo nobis commendare. Summo enim manè surgens, iter faciens & esuriens, ostendit, quod frugaliter ac parè fuerit cœnatus, suoque exemplo damnat illorum mores, qui in diem multam stertunt, ut hesternam crapulam concoquant & edormiant. 5. Deniq; corporalis Christi fames fuit *spiritualis famis documentum*. *Esurit Christus salutem credentium*, ait Hieronymus, *sicut etiam in cruce sitit nostri desiderio*. Ut enim assiduitas illa laborum, quos in docendo quotidie sustinebat, evidens indicium fuit, quod seriò hujus populi conversionem & salutem desideraret, ita quoque hac corporis fame restatam reddere voluit animi sui famem, quâ ardentissimè humani generis salutem expetebat, sicut Joh. 4. v. 34. inquit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus*. Sicut famelico nihil gratius vel suavius est cibo: sic Christo, humanae salutis cupidissimo, suavissimus quasi cibus erat, voluntatem Patris in redimendo genere humano & procuranda multorum salute perficere.

Atque hæc fuere *παρονομασία* hujus miraculi. *παρονομασία*, sive *miraculum ipsum* sic describitur, ut primo mentio fiat *objecti*, quod fuerit ficus; secundò *forma & processus*, quem in hoc miraculo Christus observaverit, quod scilicet 1. ad ficum procul à se visam accesserit. 2. quod fructus in ea quæsierit. 3. quod non inventis in ea fructibus eidem maledixerit. *Objectum*, in quo editum fuit miraculum, vocatur *συκη*, ficus, quæ species arboris in nostris regionib; minùs nota, sed in Palæstina fuit & communissima & notissima, ut pater ex Num. 13. v. 24. 1. Reg. 4. 25. 2. Reg. 18. 31. Nehem. 13. 15. Es. 36. v. 16. Jer. 5. 17. &c. unde terra Canaan sic describitur, quod fuerit *terra tritici, & hordei, & vitis, & ficus*, Deut. 8. v. 8. Vulgatus interdum vertit per *ficulneam*, vocabulo non satis probo, quandoque diffidentia causa addidit nomen arboris, quia ficus Latinis & arborem & fructum significat: sed ex circumstantiis facile colligitur, de arbore hoc loco sermonem esse. Describitur autem ficus ista 1. à numero. Vidit *συκην μίαν*. Quidam illud accipiunt indeterminatè positum pro quadam, juxta Hebraismum, quia Hebræi *אחת*, pro quodam usurpant, Gen. 26. 10. Sed rectius accipitur hoc loco ut numerale, quod ficus illa steterit *sola ac solitaria*, sive *unica*. Si enim plures ficus in vicinia hujus arboris præsto fuissent, Christus etiam ex illis fructu quæsierisset, & non invento in eis fructu etiam illis maledixisset, cum non sit major causa de una, quàm de alia. Magis etiam hoc congruit significationi, quod Synagoga, per hanc ficum denotata, sola fuit, in qua & circa quam Christus laboravit, ut fructu

*Harmon. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.*

ferret; Gentiles autem erant steriles arbores, in quibus, & circa quas nondum laboraverat, ideò ab illis fructum non quæsit. 2. à *situ*, vidit Christus ficum, *μακρόθεν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ*. Quidam illud sic accipiunt, quòd ficus ista steterit *in ipsa via*, quæ Bethaniâ ducit Hierosolymam, sicut Marc. 11. v. 4. *ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, in ipso bivio*, pullus inventus dicitur; quæ sententia confirmari posset ex eo, quòd arbores ita plantari consueverint, ut sint viæ proximæ: ac secundum viam positæ in usum prætereuntium, ac quod manè sequentis diei discipuli *παρονομασμένοι* ficum in via vident, ex quo colligitur, quòd *secus viam*, sive apud viam, proximè fuerit sita. Quod ergo Christus *μακρόθεν, à longinquo* eam vidisse dicitur, id sic accipiunt, quòd à loco illo, in quo Christus eam primùm vidit, fuerit distita, non autem ab ipsa via. Sed rectius dicitur, quòd hæc ficus à via Hierosolymam ducente paululū distiterit, quòdque Christus fructum in ea quærens, à via ad locum illum declinaverit. Si enim ficus illa fuisset viæ contigua, non satis commode diceretur, quòd Christus videns eam *μακρόθεν*, venerit sive diverterit ad eam. Nec de discipulis viæ comitibus, sed de solo Christo dicitur, quòd ad ficum illam venerit, sive declinavit: at si fuisset viæ proxima, etiam discipuli ad eam venissent. Adde, quòd Christus eo animo ac fine ad ficum venerit, ut fructus in ea quæreret, quos foliorum luxurie emirus promittere videbatur: At si fuisset viæ contigua, facile cognosci potuisset, ipsam folia duntaxat, non autem fructus habere. Quod ergo *ἐπὶ τῆς ὁδοῦ*, stetisse dicitur, eo sensu accipiendum, quòd Bethaniâ Hierosolymam iter facientibus, ficus illa visa fuerit, ac illud *μακρόθεν*, de tali accipiendum distantia, quæ ferat, ut discipuli execrationem ficus à Christo prolatam audire potuerint, quamvis ipsi in via subsisterent, atque ut sequenti die *παρονομασμένοι*, in ipsa via videre potuerint, arborem radicis exaruisse, quo sensu vox *μακρόθεν* usurpatur, Matth. 27. vers. 55. Marc. 5. v. 6. cap. 15. v. 40. Luc. 18. vers. 13. &c. 3. *ab habitu*, quòd folia habuerit, hoc est, quòd virore ac luxurie foliorum fructum aliquem promiserit, ficus enim ea indoles est, quòd multis & latis foliis luxuriari consueverit. Isidorus *Pelusiota*, libr. 1. Epist. 51. pag. 12. existimat, *ficum hæc fuisse arborem scientiæ boni & mali in Paradiso olim positam*, ob cujus fructum contra divinam prohibitionem usurpatum, primi Parentes, cum omnibus posteris, sempiterno illaqueati fuerint exitio, quâ de causâ etiam fuerit à Christo maledicta. *In hac quoque re*, inquit, *ἀπόδητος* *arcanus annexus est sermo*, à senibus sapientibus ad nos grassatus, nempe *hanc transgressionis arborem esse, cujus etiam foliis, ad corpus tegendum, ii, qui mandatum violaverunt, usi sunt*. Ac proinde Christus humano ac misericordiam animo hoc ei imprecatus est, ut ne posthac fructum, peccati causam, feret. Baronius in annalibus ann. 34. num. 9. hoc tanquam certum & exploratum Ecclesiæ obtrudere laborat. Et sanè, si tanquam probabile statueretur, arborem, cui Christus maledixit, non quidem in *individuo*, sed in *specie* eandem fuisse cum arbore scientiæ boni & mali, posset id ipsum velut res quæstionis admitti: sed quòd ficus à Christo maledicta fuerit in individuo illa ipsa primavæ *παρονομασία* arbor, hoc verò nulla

X

proba-

probabilitatis specie affirmari potest. Quomodo enim ficus in vicinia Hierosolymæ nata, potuit esse ea, quæ in Paradiso per diluvium cum omnibus arboribus diruto & devastato olim extitit? Quamvis verò de loco Paradisi plurimum varient eruditorum sententiæ, plerique tamen in Mesopotamia inter Tigrin & Euphraten illum statuunt, quomodo igitur ex horto Paradisiaco in Orientali mundi plaga olim positò, & ex Mesopotamiæ regione in Palæstinam ficus illa infausta translata fuisset? unde Isidorus ipse vocat λόγον ἀπορίητον, incertâ seniorum traditione ad se delatum. Neque ex eo, quod primi parentes post lapsum ex ficu dicuntur sibi subligacula parasse, Genes. 3. v. 7. certò colligi potest, arborem παραδάσους fuisse ficum, cum verisimile sit, quod ex eo, quod proximè ad manum erat, περὶ ἄμυδα sibi paraverint, quo argumento utuntur Theodoretus, q. 28. in Genes. & Moses Barcephala, in lib. de Parad. cumq; ficus Indica, quam Musam vocant, folia habeat tres cubitos longa, sesquicubitum lata ac proinde subligaculis maximè idonea. Matthiol. comment. in Dioscor. lib. 1. cap. 126. Garzias, lib. 2. cap. 10. Navig. Orient. Histor. part. 4. cap. 11. Potest enim argumentum illud inverti, procul dubio namque ingens illius arboris horror & odium primos parentes post lapsum cœpit, ex qua tantum accepissent damnum, ac timuissent ejus folia contrectare, ac si vel maximè ex foliis ficus subligacula sibi parârunt, nondum tamen sequitur, arborem transgressionis fuisse ficum, quia hac ratione diversæ arbores confunduntur. Ideò verò in ficu potiùs, quàm in alterius speciei arbore Christus hoc miraculum edere voluit, 1. quia regio illa ficuum erat feracissima, ideò optima ratione ficus Synagoga Judaicæ typum exhibere potuit, sicut etiam postea suo loco alia comparationis membra asseremus. 2. quia ficus est arbor humidissima, illustrius ergo miraculum & divina potentia specimen erat, quod ad verbum Christi citissimè omni virore & succo exhausto radicitus exaruit.

Forma & processus miraculi sic describitur, quod Christus à via declinando ad ficum procul à se visam accesserit; fructus in ea quæsierit, & non inventis fructibus eam execratus fuerit. Accessus Christi ad ficum symbolon erat eximii illius beneficii in populum Israëliticum per ficum præfiguratum collati, quòd Filius Dei per carnis assumptionem è cælo in terras descenderit, ad populum Judaicum, velut Doctor divinitus missus, venerit, benefaciendo & sanando omnes à diabolo oppressos pertransierit, Act. 10. v. 38. sicut Zacharias hoc beneficium prædicat, quòd Deus per missionem Filii visitaverit populum suum, Luc. 1. v. 68. quòdque Christus Oriens ex alto eum visitaverit, v. 78. Dicitur autem Christus ad ficum typicam venisse εἰς ἀγαθήν ἐν ἡρώδῃ τῆς συνιουλιανῆς, cuius phariseos simile exemplum extat, Act. 27. v. 12. Conjunctionem expletivam εἰς ἀγαθήν Latinus interpret ut alibi, Act. 8. 22. cap. 17. v. 27. ita etiam hoc loco vertit fortè, sed non satis commode, neque quidquam attinebat, eam addere, cum Dominus planè speraret cibum ex hac arbore, vel certè volebat videri eum sperare, diversa enim hac de re sunt sententiæ, ut paulò post monabitur. Pronomen τῆς indefinitè hoc loco ponitur, ideò subintelligendum βρώσιμον, si fructum

aliquem, videlicet ficus aliquas inveniret, quibus famem solari possit. Finis ergo accessus fuit, ficus in arbore è longinquo visa quærere. Chryso-stomus & Euthymius in hoc loco, & alii illud sic accipiunt, quòd Christus nequaquam ignoraverit, arborem istam carere fructibus, ideòq; duntaxat sic se habuerit, ac si venisset visum, an in ea esset aliquis fructus, quòdq; propterea dicatur fructus quæsisse, quia Apostoli accessum illum sic intellexerint, quasi esuriens fructum in ficu quæreret, cum accessus finis Christo propositus fuerit longè alius, videlicet ficus maledictio ad Synagoga Judaicæ maledictionem significandam suscepta. Nam 1. Marcus expresse dicit, non fuisse tunc tempus ficuum. Quod ergo vel pueri tunc scivissent, videlicet nullum adhuc fructum inesse arbori, ejus rei ignorantia Christo non videtur tribuenda. 2. Sicut reliqua omnia in hac Historia, videlicet Christi esuries & ficus maledictio sunt parabolica, ita quoque parabolicè hoc accipiendum, quòd fructus in arbore quæsit, quam fructibus destitutam noverat. Augustinus, lib. 1. quæst. Evang. cap. 68. & ex eo Beda in cap. 1. Marc. Parabolicè hoc fecit, ut aliud significaret. Quæsit fructum in ficu, quam sciebat fructum non habere, quia quærit fructum ab homine, quem scit fructu carere. Ut enim Dominus multa in parabolis docebat, ita etiam nonnulla in parabolis facere solebat. Idem Augustinus, serm. 74. de tempor. Etiam ipsa, quæ à Domino facta sunt, aliquid significantia erant quasi verba, si dici potest, visibilia & aliquid significantia, quòd maximè apparet in eo, quòd præter tempus poma quæsit in arbore, & quia non invenit, arbori maledicens aridam fecit. Hoc factum nisi figuratum accipiatur stultum invenitur, primò quæsisse poma in illa arbore, quando tempus non erat, ut esset in illa arbore: deinde si pomorum jam tempus esset, non habere poma, quæ culpa arboris esset. Sed quia significabat quærere se non solum folia, sed etiam fructum, id est, non solum verba, sed & facta hominum, arefaciendo, ubi sola folia invenit, significavit eorum penam, qui loqui bona possunt, facere bona nolum. Eusebius Emis. in homil. Feria 3. post prim. Domin. in cap. 21. Matth. Dominus, qui nunquam sine ratione aliquid agit, quando sine ratione aliquid agere videtur, alicujus magnæ rei significatio est. Cui enim rationabile videtur, ut eo tempore in arbore fructum quærat, quo sine fructu arbores sunt? nunquid enim fructuum tempus ignorat fructuum & arborum temporisq; creator? Esurit igitur Dominus non ficus, sed fidem, neq; fructus arboris quærit, sed fructus corporis. Gregorius, lib. 8. Epist. 42. Cùm Evangelista subjungit, nondum enim erat tempus ficorum, aperte cognoscitur, quòd per ficum Dominus in Synagoga fructum quæsit, quæ folia Legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat creator omnium nescire, quia fructum ficus non habuit, quòd dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire. Nimirum ut alibi in Historia Evangelica Christus quædam percunctatus est, non quòd reverà ea ignoraret, sed ut sibi viam ad gerenda vel dicenda utilia pararet: ita quoque videtur quæsisse ficus in arbore, quas inesse nesciebat, ut ansam miraculi haberet. 3. Causam accessus Christo propositam, non fuisse inquisitionem fructuum, sed ficus maledictionem, patet ex eventu. Voluit Christus maledicere ficu ad aliud aliquid significantum, & tamen non erat aliquis color ad maledicendum ei, ait Tostatus,

tus, si non iret ad eam, ideo debuit ire. Quando enim iuit, & non invenit fructum, innuitur, quod quasi indignatur pro labore, quem sustinerat eundo ad illam, & non invenit fructum, & maledixerit, si non eundo ad illam, malediceret ei, quia non habebat fructum, eadem ratione maledicere debuisse omnibus ficibus, imò omnibus arboribus, que erant in tota illa regione, quia nulla tunc habebat fructum. 4. Congruit etiam hæc sententia rei per hunc accessum significatæ. Quamvis enim Deus exactè sciat, plurimos per prædicationem Verbi non fore convertendos, ad omnes tamen venit, omnibus Verbum, & in Verbo suam gratiam offert; Noverat Christus, Hierosolymitanos, ad quos docendi causa jam proficiscebatur, ex Evangelii prædicatione non fore meliores, sed deteriores, nihilo tamen minùs ad eos ibat. Sed præsupposito eo, quod Christus in statu exinanitionis divinam suam omniscientiam per unionem personalem assumptæ carni verè & realiter communicatam, non semper plenâ luce per carnem exeruerit: sed quando & quoties ipsi placuit, ac secundum humanam naturam exinanitam verè quædam ignoraverit, id, quod suo loco ex *evacuatione formæ Dei*, Phil. 2. v. 7. ex *sumptione formæ servi & infirmitatum humanarum*, Phil. 2. v. 7. Hebr. 2. v. 17. cap. 4. v. 15. ex Esai. 7. v. 15. 16. Matth. 8. v. 10. Marc. 13. v. 32. Luc. 2. v. 52. Hebr. 1. v. 8. & aliis Scripturæ dictis plenius demonstratur, verisimilius esse dicimus, quod Christus in statu exinanitionis tunc constitutus secundum humanam naturam verè ignoraverit, ficum istam carere fructibus, & non simularit duntaxat se illud ignorare. Nam 1. Marcus expressè dicit, quod Christus declinavit ad ficum, *visurus, an inventurus esset aliquid in ea*. At si ante suum accessum, ut homo verè scivisset, arborem istam fructibus carere, cur eo sine ipsam adiisset, ut fructus in ea quæreret? 2. Sicut verè & non simulata fuit Christi esuries, quæ impulsit ipsum, ut ad arborem fici è longinquo visam accederet, & fructus in ea sedandæ famis causa quæreret; ita quoque verè & non simulata fuit fructus inquisitio, quia famis sedandæ desiderio ad arborem accessit, & fructum quæsit. Fuisse autem veram hanc & non simulatam Christi famem, superius ostendimus. 3. Sicut verè & non simulatus fuit accessus, quo Christus ad arborem declinavit fructum in ea quæsiturus; ita quoque verè & non simulata fuit inquisitio, accessus illius finis. At si Christus ut homo jam antè scivisset, arborem penitus destitui fructibus, simulata fuisset inquisitio. 4. Evangelistæ disertè dicunt, quod *Christus nihil invenit in ficu, nisi folia tantum*. Jam verò non invenire præsupponit non quærere. Quod si ergò verè & propriè loquendo Christus nihil invenit, utique etiam verè & propriè loquendo in arbore aliquid quæsit. 5. Periculosa est illa explicatio, quod Christus non quantum ad veritatem, sed quantum ad opinionem discipulorum dicatur quæsiturum fructum in arbore, nullus enim Evangelistarum vel verbulo meminit, Christum inquisitionem fructus duntaxat simulasse. Ac si semel conceditur, id quod *ὄρατος* Scriptura factum memorat, illud *δοκῆσθαι* tantum factum dicere, pari auctoritatè dici poterit, Christum *δοκῆσθαι* duntaxat passum, ac dolores animæ & corporis hominum duntaxat opinione, non autem in rei veritate sustinuisse. Sicut Hilar. lib. 10. de

*Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.*

Trin. p. 150. scribit: quod *ictus & vulnera attulerint quidem Christo impetum passionis, non tamen dolorem passionis intulerint, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans*. Et p. 157. quod *Christus existimatus fuerit, & in doloribus, & in plaga, & in vexatione esse, atque opinionem nobis naturalis sibi in passione doloris invexerit: ubi Erasmus in margine rectè annotavit, hæc cautè esse legenda*. Calvinus addit, etiam speciem arboris usque è longinquo visæ Christo fuisse incognitam, sed quia ex foliis, quibus jam tum arbor illa instructa erat, ficus facilè dignoscitur, & quia longinquitas illa non fuit nimæ distantia, ideo iudicamus hoc non esse verisimile. Argumentis contra nostram sententiam superius adductis facilè responderi potest. 1. Nondum quidem erat tempus, quo fici universaliter & in copia maturefcerent, interim tamen, quia jam dum foliis arbor illa luxuriabat, ideo cogitari poterat, vel præteriti anni reliquias quasdam marcidas in ea adhuc superesse, cum in nostris etiam regionibus frigidioribus fecundæ arbores per hyemem interdum fertilitatis suæ reliquias quasdam confervent, vel præcoces aliquas & immaturas ficus unâ cum foliis in ea erupisse. Duplex enim est hujus arboris fructus, grossus & carica. Grossus est immatura & intempestiva, sed carica est matura & tempestiva ficus, inde Hof. 9. v. 10. Nahum 3. v. 12. mentio fit, *בכורי*, primitivorum in ficu, ac notum est, ficum non proferre florem, sed cum foliis statim enasci fructum, adeoque admirabilem esse pomi hujusce festinationem unius in cunctis ad maturitatem properantis arte nature, ut loquitur Plinius, lib. 15. Natur. Histor. cap. 18. ubi etiam ex Catone memorat, *deprehasas in ficibus hyeme grossos, si post autumnum simo contegantur, quæ mitiore calo resosse cum arbore, atque in lucem remisse, novos Soles, aliosque, quam quibus vivere, avide tanquam iterum nata accipiunt, & cum venientium flore maturefcent alieno præcoces anno in tractu etiam gelidissimo*. Quanto igitur magis in Palestina, regione & calidissima & fertilissima, in quibusdam arboribus, præsertim ficibus, ejusmodi præcoces fructus sperari & inveniri potuerunt? 2. Parabolica & mystica hujus Historiæ applicatio non tollit, sed potius præsupponit sensum literalem, neque enim parabolam aliquam, sed veram rei gestæ historiam Evangelistæ describunt, in qua licet altius quoddam Christus spectaret, quàm verba & facta primo intuitu præferunt, tamen propter mysticam significationem in historica quadam relatione non est à litera discendum. Quare cum notanter addant Evangelistæ, arborem illam è longinquo à CHRISTO visam fuisse foliis divitem, eo ipso innuunt, ficum hanc foliorum luxuriantium virore Christum, esuriem tunc sentientem, quasi invitasse, & spem fecisse, aliquid fructus si non ex anno superiore, tamen præcocis in ea inveniri posse, unde de Christo dicitur, quod quæsierit *non aliquid esculentum*, quodcunque tandem illud fuerit sive maturum sive immaturum, ut non sit necesse in eam abire opinionem, quasi CHRISTUS simulate hic egerit, atque *ὄρατος* tantum velut ignorantis accessio facta sit, ut miraculo daretur occasio. 3. Causam accessus fuisse *inquisitionem fructus*, disertis verbis Marcus testatur, proinde causa impulsiva accessus

cessus non est propositum maledictionis, sed esurientis, cuius sedandae causa Christus fructum in arbore quaesivit, quem cum non inveniret, sicque in arbore foliis luxuriante, sed fructibus interim vacua, typum Synagogae Judaicae verbis inanibus gloriantis, sed bonis operibus vacuae inveniret, dum demum ἐκβασιλικός contigit, ut sterili arborei malediceret, & futurum Synagogae statum Apostolis suis in hac ipsa maledictione ob oculos poneret. 4. Quod ipsum etiam rei significatae pulchre congruit. Quemadmodum enim Christus in suo adventu non venit in mundum, ut judicaret & damnaret mundum, sed ut mundum salvaret, Joh. 3. v. 17. cap. 12. v. 47. ita quoque ad populum Judaicum tanquam minister circumcissionis, Rom. 15. v. 8. cum praedicatione Evangelii non ideo venit, ut maledictionem & mortem, sed ut benedictionem & vitam illis afferret: sed quia sine ulla emendatione in hypocrisis sua pertinaciter manserunt, de templo, cultu, ceremoniis plurimum gloriantes, interim fructus bonorum operum minimè ferentes, inde ἐκβασιλικός demum contigit, ut maledictioni & exitio propter incredulitatem & contemptum Messiae ac Verbi eius subjicerentur. Proinde, quemadmodum adventus Filii Dei in carnem & ad populum Judaicum, omnino sibi hunc finem habuit propositum, ut fructum fidei & justitiae à Judaeis perciperet: ita quoque, si typus antitypo & parabolica historia rei significatae respondere debet, statuendum erit, Christum in suo ad hanc ficum accessu omnino sibi hunc finem propositum habuisse, ut fructum in ea quaereret & inveniret. Sed ut in populo Judaico nil nisi folia, hoc est, hypocriticam gloriationem & falsam pietatis speciem, nullos autem veram pietatis & sanctitatis fructus invenit: ita in hac typica ficu, cum ad eam venisset, nihil nisi folia invenit. καὶ ponitur hoc loco pro ἀλλὰ, venit ad ficum, si inventurus esset aliquid, & nihil invenit, hoc est, sed nihil invenit, scilicet eorum, quae in ea quaesiverat, opponuntur enim quaerere & invenire. Simili modo usurpatur particula καὶ, Matth. 11. vers. 19. cap. 12. v. 39. Act. 10. v. 28. ut & Hebraeorum 1, Gen. 42. v. 10. Exod. 14. v. 8. Ps. 7. v. 6. Ps. 44. v. 18. Prov. 21. v. 1. &c. Quod Marcus addit, non fuisse tunc tempus ficorum, non eo pertinet, ut significetur, Christum simulatè duntaxat fructus in hac arbore quaesivisse, cum sciret, nec hanc nec alias arbores jamdum fructus habere, nec simpliciter & absolute Evangelista excusat arborem, quod fructibus fuerit vacua, sed ostendit, primò nondum fuisse tempus ficum universaliter & in copia maturefcentium, erat enim dies undecimus mensis Nisan, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet, ut colligitur ex eo, quod decimo quinto die Nisan Judaei celebrarunt suum Pascha, jam verò quarto die ante Pascha hæc historia contigit, quo mense nondum consueverant fructus universaliter maturescere; Innuitur hoc ipsum per vocabulum καρπός in propria significatione hic positum pro maturo & opportuno tempore ficorum, sicut Matth. 13. vers. 30. vocatur καρπός θέρμους, Luc. 20. vers. 10. καρπός & καρπός & ἀμπέλων, Act. 14. vers. 7. dicuntur καρποί καρποφόροι, alibi verò in genere pro χροῖον, sive quovis tempore usurpatur; Secundò innuit, Christum hoc facto altius quid signifi-

caste. Non erat tempus ficum, & tamen Christus in ficu fructum quaesivit, quia arbor illa debuit esse symbolum Judaici populi, qui quovis tempore fructum proferre debet. Destinatum est tempus fructuum arboribus, sed hominibus non ita constitutum est certum proferendorum fructuum tempus, ut reliquo tempore steriles sine Dei offensa esse possint. Quare cum arbor execrationi Dominicae obnoxia fiat, propterea quòd fructibus sit vacua, cum nondum esset tempus fructuum, eo ipso significatur, maledictionis sententiam non tam arboris causa latam, quam terrendi populi Judaici & mysticae significationis ergò. Si enim arbor ob sterilitatem devoveretur, cum tamen nondum esset plenum tempus fructuum aetivorum, quanto magis Synagoga Judaica ob bonorum operum sterilitatem maledictione seledignam esse agnoscat, cum jam olim fuerit tempus fructuum, cum non solum Prophetæ, sed etiam CHRISTUS ipse propterea tam sedulo in hoc populo docendo laboraverint, ut exoptatos & expetitos à DEO pietatis fructus ferret; quinimò cum CHRISTUS celestis colonus succissionem jamdiu ob sterilitatem ab ipsis promeritam intercessione sua suspenderit, ac nihilominus ipsi etiam hoc quarto ministerii anno in impenitentia & incredulitate sua sterilitate pertinaciter perseverarent, Luc. 13. vers. 8. In eo igitur, quod nondum erat tempus fructuum, est dissimilitudo inter ficum typicam & rem per ficum significatam. Quod attinet ficum typicam, illius respectu nondum erat καρπός, sive oportunitum tempus ficorum, quia aetivo demum tempore communiter & universaliter ficus percoquantur, & ad suam maturitatem perveniunt, ut colligitur ex Matth. 24. v. 32. Luc. 21. v. 30. hæc verò facta sunt tempore Verno: sed quod attinet rem per ficum praefiguratam, videlicet Synagogam Judaicam, & quodvis Ecclesiae membrum, respectu illius semper est καρπός, bonum operandi, & bonos fructus afferendi, Galat. 6. v. 10. Hieronymus tamen etiam hoc ipsum mystice ad Synagogam Judaicam accommodat, eodemque significari putat, sive, quod tempus nondum venerit salvationis Israel, eò quòd plenitudo Gentilium nondum intrasset, Rom. 11. v. 25. sive quod praeteriisset tempus fidei, quia ad illum primum veniens & spretus transisset ad Nationes, Act. 13. vers. 46. Quemadmodum enim Johannes dicit, ipsos non potuisse credere, quia iusto Dei iudicio ob pertinacem Messiae contemptum erant excecari, ita per hanc foliosam & sterilem ficum denotatur, quod Judaei eò malitiae pervenerint, ut non esset eis amplius potestas benefaciendi, Matth. 12. vers. 33. Cum ergo Christus in ficu foliis luxuriante nihil quicquam fructuum inveniret, sterili & infrugiferae arborei maledixit. Et respondens JESUS dixit illi: Ne posthac ex te fructus nascatur in aeternum, & ne posthac ex te in aeternum quisquam fructum edat. Copulativa καὶ ponitur hoc loco pro ratiocinativa ideò, ideò. Quia enim Christus in ficu non invenit fructum, quo famem solari posset, ideò ei maledixit. Hoc sensu particula καὶ usurpatur, 1. Corinth. 6. v. 2. Galat. 4. v. 7. Hebr. 3. vers. 19. ut & Hebraeorum Psalm.

Pſalm. 18. v. 47. Hof. 10. v. 4. &c. Participium ἀπο-  
 ρεῖς, tanquam redundans, Syrus interpres omi-  
 ſit, ſimpliciter legens, & dixit illi. Ponitur autem  
 per uſitatum Hebraiſmum pro loqui oblatâ dicen-  
 di occasione, Matth. 11, 25. Ut enim ex Jobo, & a-  
 liis Scripturæ locis apparet, dicitur phraſi Spiritui  
 ſancto familiari *reſpondere* non ſolum is, qui ad al-  
 terius interrogata reſpondet, ſed etiam qui ex re-  
 præſente occasione in verba prorumpendi ac-  
 cipit. — 27, Hebræis ſignificat, *alternis locutus ſuit,*  
*vocem edidit aut reddidit,* ut ubi unus deſiit, inde al-  
 ter oritur, ſicut in choris fieri conſuevit, ſive qui  
 loquitur, ſermonem ordiatur, ſive reſpondeat, ad-  
 eoque ſimpliciter aliquando ſignificat animi ſui  
 cogitata & orationem proferre, vel intermiſſum  
 ſermonem proſequendo, vel novum ſubjiciendo  
 & ordiando. Convertit autem Chriſtus ſermonem  
 ad ipſam arborem, ſicut etiam Marc. 4. v. 39. allo-  
 quitur mare, jubens ut *taceat & obmutefcat,* quia ipſi⁹  
 divino imperio ſubjecta eſt omnis creatura tam  
 experta rationis, quàm particeps, & quia humanâ  
 voce arbori imperat, oſtendit, etiam humanæ na-  
 turæ in perſonæ unitatem à λόγῳ aſſumptæ divinam  
 omnipotentiam & dominium in omnes creaturas  
 eſſe perſonaliter communicatum, cujus majeſta-  
 tis radios quosdam in hoc & aliis miraculis exe-  
 ruit, poſtquam autem formam ſervi depoſuit, & ad  
 dextram Dei collocatus eſt, plenâ luce majeſtatem  
 illam exerit, ac ſemper & inceſſanter plenario &  
 perpetuo uſu illud dominium in cælo & terra non  
 ſolum ut Deus, ſed etiam ut homo adminiſtrat.  
 Verba execrationis apud Matthæum ſic habent:  
*Ne poſt hæc ex te fructus naſcatur in æternum.* Syrus reddidit,  
*non ſunt in te iterum fructus in æternum, eis τὸν αἰ-  
 ὶῶνα,* hoc eſt, nunquam, non ſolum hoc anno, ſed  
 nec ſequentibus, adeoque nunquam proferas fru-  
 ctum, & quia uicitur ſingulari καρπός, eo ipſo oſtendit,  
 ne quicquam quidem ficum ab hæc arbore inpo-  
 ſterum expectandam. Apud Marcum verba exe-  
 crationis ſic deſcribuntur: *Ne poſt hæc ex te in æter-  
 num quisquam fructum edat.* Syrus reddidit: *Deinceps  
 & in perpetuum nemo ex te fructus comedit,* ut in vernacula  
 noſtra lingua dicere ſolemus, *nun und nimmer  
 mehr,* ubi ſinis ponitur pro deſtinato ad finem, quia  
 fructus Deus in arboribus & aliis è terra naſcenti-  
 bus creat, ut homines illis veſcantur. *Non amplius ex  
 te comedat quisquam fructus,* hoc eſt, non naſcatur ex  
 te amplius fructus. Plus autem intelligitur, quàm  
 dicitur, ut ex eventu ſubſecuto apparet, *ſtatim enim  
 exaruit ficus:* ergo quando Chriſtus dicit, *nunquam  
 ex te in poſterum naſcatur fructus,* ſenſus eſt: penitus  
 exſicceris & areſcas ad fructum ferendum inepta,  
 ſuccioni & igni deſtinata, potuiſſet enim manere  
 infrugiſera, ſi vel maximè non fuiſſet exſiccata &  
 areſacta, ſed folia quotannis protuliſſet. Mirum a-  
 licui videri poterat, Chriſtum in ficu fructum qua-  
 rere, cum nondum eſſet tempus ficuum, ſed longè  
 magis mirum, quod ficui ob non inventos in ea  
 fructus maledicit. Notandum verò primò per il-  
 lum τὸ πρὸς δεξιὰ μου, quod non erat tempus ficuum, non  
 plenè excuſari ficum, vel de præterito, potuiſſet e-  
 nim reliquias ſuperioris anni habere; vel de præſenti,  
 potuiſſet enim ficus quasdam præcoces & imma-  
 turas in tanta foliorum ubertate habere: ſed tan-  
 tum de futuro, proinde quia fructum, quem folio-  
 rum luxurie fruſtra promittebat, Chriſto requi-

rente non habebat, ideò maledictioni ſubjicitur.  
 Et quia notanter dicunt Evangeliftæ, arborem  
 hanc *tantum habuiſſe folia,* eo ipſo innunt, quod ar-  
 bor iſta non ſolum hic, ſed etiam ſuperioribus an-  
 nis ſemper talis fuerit, foliis ſcilicet abundans, ſed  
 fructibus vacua, ac propterea digna, quæ à Chriſto  
 malediceretur. Secundò, notandum etiam illud,  
 quod hæc imprecatio non fuerit profecta *ex animi  
 quadam impotentia,* nec ex intempeſtiva quadam bi-  
 lis efferveſcentia, quaſi tam impatiens famis Chri-  
 ſtus fuerit, ut ob non inventos in ficu fructus, qui-  
 bus famem ſedaret, arbori ex impatentia maledi-  
 xerit, ſicut quandoque homines iracundi ex cupi-  
 ditate vindictæ rebus inanimatis maledicunt, ſi  
 non pro lubitu ipſis ſerviant: ſed *certæ cujuſdam ſi-  
 gnificationis cauſa,* quàm paulò poſt explicabimus,  
 hoc ipſum Chriſtus fecit. Cum enim cibum in ar-  
 bore infrugiſera non inveniret, quo famem cor-  
 poris ſolari poſſet, convertit ſe ad animæ cibum,  
 de quo Joh. 4. v. 34. dicit: *Meus cibus eſt, ut faciam  
 voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Ma-  
 niſteſtat in hoc miraculo exſiccatae ficus ſuam & Pa-  
 tris ſui gloriam, quod ab ipſo in mundum miſſus  
 ſit ad informandum populum & perficiendum  
 opus redemptionis, ac proinde præſentiſſimum  
 exitium eos manere, qui oblatam hanc in Evan-  
 gelio Dei gratiam contemnunt, inque ſterilitate  
 ſuæ incredulitatis & impœnitentiæ perfeverant.  
 Neque quisquam ſuſpicari poterit, *Chriſtum maledi-  
 ctione huius arboris in ejus Dominos fuiſſe injurium,*  
 cum ipſe ſit omnium craturarum Dominus, cui  
*omnis poteſtas in cælo ac terra data,* Matth. 28. v. 19.  
*omnia in manus ejus data,* Matth. 11. v. 27. Johan. 3.  
 v. 35. cumque gloriæ Dei, ad quam illuſtrandam  
 hoc miraculum edebatur, non ſolum creaturæ ſervi-  
 re debeant. Quod Marcus annotat, *discipulos audi-  
 viſſe hæc verba imprecatoria,* quibus Chriſtus ficui ma-  
 ledixit, reſpectum habet tum *ad antecedentia,* quod  
 Chriſtus ad ficum è longinquo viſam fructus in-  
 ea quaerendi cauſa declinaverit, ne quis exiſtinet,  
 tantam fuiſſe arboris à via diſtantiam, ut non po-  
 tuerint diſcipuli audire, quid Chriſtus ficui infru-  
 giſeræ loqueretur; tum *ad ſequentia,* quod poſte-  
 ro die viderint ficum exaruiſſe, & admirabundi  
 dixerint: *Ut quid exaruit ficus?* Audiverunt ergo  
 Chriſti imprecationem ſtatim ut prolata fuit, ſed  
 effectum imprecationis, videlicet arefactionem  
 ficus, non protinus animadverterunt.

Tandem ſubjungunt Evangeliftæ τὸ ἐωόμενον,  
 quid ſecutum fuerit Chriſti imprecationem. *Et are-  
 facta eſt continuo, ἢ οὐκ ἔτι, ficus illa.* Non fuit hæc  
 imprecatio Chriſti fulgur ex pelvi ac nudus ver-  
 borum ſtrepitus, ſed ficus ἐξ ηὐάνθη, & quidem  
 παρὰ χρῆμα, protinus exaruit, foliis deſluentibus,  
 & nativâ humiditate penitus abſumptâ. *Ἐνεξ,* mo-  
 re Hebraico, dicitur terra propter ariditatem,  
 Matth. 23. verſ. 15. Hebr. 11. verſ. 29. inde eſt  
 Ἐνεαίνθη, quod plenam ariditatem ac marcorem  
 ſignificat, Matth. 13. verſ. 6. Marc. 4. verſ. 6. Luc. 8.  
 verſ. 6. uſurpatur de culmis frugum exareſcen-  
 tibus, Marc. 3. verſ. 1. manus paralytici dicitur,  
 quod ἐξ ηὐάνθη. Uſurpatur etiam de phtificis mar-  
 core correptis, & ſenſim exareſcentibus, Marc. 9.  
 v. 18. ſed ex admiratione diſcipulorum apparet,  
 non ſenſim & pedetentim, ſed ſubitò ficum hanc  
 exaruiſſe, congruit ergo huic loco ſignificatio,  
 quam



habentes aridas manus sanat, Matth. 12, 10. Luc. 6. v. 6. Johan. 5, v. 3. & arborem virentem reddit fructum, aridam; sicut etiam uno eodemque verbo proferunt hostes, & erigit suos discipulos. Ut enim credentium est Salvator & benefactor; ita vindex est incredulorum. 5. Expendenda verò etiam mystica miraculi hujus significatio, & ad usum nostrum accommodatio, quæ multiplex inveniri potest. Primò, Christus ipse die mox sequenti practicum hujus miraculi usum discipulis suis monstrat. Quarentibus enim ipsis, ut quid continuò aruit ficus, respondet: Habete fidem Dei. Si habueritis fidem, & non hesitaveritis, non hoc solum, quod sicut obligit, facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet; de quo miraculi usum in sequenti capite dicemus. Secundò, quidam ex Veteribus docent, Christum ideò ficum hanc maledictione exsicasse, ut discipulis demonstraret, sibi non deesse robur ac vires perendi omnes suos hostes, ac proinde se non pati invitum, sed volentem. Sicut postea in horto eadem verbi virtute, quæ ficui hoc loco malediciti, hostes suos in terram proferunt, & ad hanc historiam discipulos quasi revocat. Athanasius quæst. 22. p. 325. Quoniam Dominus jam passurus erat, ne existimarent ejus discipuli ipsum non omnipotentem esse, sed infirmum, ideoque patiens in hac inanimata re suam declaravit potentiam, ut ostenderet, quod omnes adversarios suos ariditate percutere possit. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 51. p. 23. Ficum execratione devinxit, ut ingratis Judæis ostenderet, se eam vim habere, quæ in ferendo quoque supplicio par esset. Quoniam enim eum in omnibus miraculis nullam cuiquæ molestiam intulisse perspexerant, ideo cum prodesse tantum posse existimabant, ac non item eam vim habere, quæ improbos malo afficere possit. Quamobrem à substantia animæ experte populum ingratum admonet, se ultisci quidem ipsius scelera posse, sed pro sua bonitate nolle. Similia occurrunt apud Chrysostomum, homil. 68. in Matth. p. 589. & in ferm. de serp. aneo, tom. 7. p. 450. edit. Savil.

Tertiò, perique omnes ex Veteribus ficum hanc dicunt gessisse typum Synagogæ Judicæ, vel, quod eodem redit, Hierosolymæ mox evertendæ. Hieronymus in cap. 21. Matth. Habebant Judæi Legem, & ideò juxta viam erant, quia non credebant in viam. Venit Christus ad Synagogam stantem & immobilem, & non habentem Evangelii pedes, nihilq; invenit in ea, nisi folia tantum, promissionum strepitum, traditiones Pharisaicas, jactationes Legis, & ornamenta umbrarum, &c. Idem in cap. 1. Esa. super verba: Erunt quasi terebinthus. Usq; bodie Judæi legentes Scripturas sacras terebinthus sunt, sive quercus, ut est interpretatus Symmachus, & juxta Evangelium, ficus, quæ aruit, in qua cum Dominus poma quasvisset, & non invenisset, aternâ ei ariditate maledixit. Variæ autem redduntur à Veteribus causæ, propter quas Synagoga ficui comparetur. Palæstina ficum erat feracissima, ut superius ostendimus, convenienter igitur per ficum Synagoga, cujus sedes fuit Palæstina, præfiguratur. Hilarius can. 21. in Matth. hanc affert rationem: Ficus dissimiliter à cæterarum arborum naturâ & conditione floreat. Nam flos ei primus in pomis est, sed non his, quæ maturitatem, ut emerferint, consequuntur. Grossa enim hæc & communis usus, & Prophetica autoritas nuncupavit. Verùm postea interna fecunditatis virtute exuberante ejusdem

Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

speciei atq; formæ poma prorumpunt, quibus prorumpentibus ista trudentur & salvis, quibus continentur, radicibus decidunt, aliq; illa execunia usque ad maturitatem fructuum provehantur. Sed de superioribus illis, si quando incidit, ut in sinu virgularum ex ramulo eodem prodeuntium emerferint, manent semper, & non sicut grossa cæteris decidunt, sed hærent sola, pomaq; cætera maturitate proveniunt. Et hos pulcherrimos fructus arbor illa ex se dabit, qui cum grossis cæteris promergerent de medio utrarumq; virgularum claviculo proferentur. Igitur ex conditione arboris propria & competens Synagoga similitudo proposita est. Primos enim populi fructus, quos ab exordio protulerat, grossorum amisit exemplo, quia plebem ejus inutilem, infidelis & pertinax, & usq; ad consummationem temporum manens populus Gentium protrusit. Verumtamen credentes primi ex Israël Apostoli, & inter Legem & Evangelium grossorum modo hærentes cæteros resurrectionis gloria tempore anteibunt. Et quidem jam in exordio Genesis in hujus rei formam pudorem suum Adam atq; Eva hujus arboris foliis texerunt, cum seipos ad adventum Domini vocantis occulerent, quia Synagoga infidelis & Legis mandata transgrediens impudentia sue seditates & turpitudinum confusionem infertuosus esset verborum velamentis tanquam ficus foliis conteclura. Hæc omnia Hilarius, quorum summam breviter complexus Ambrosius sic scribit: Sicut ficus ejus est natura, ut pro flore poma germinet, sed quæ ferè præter pauca ad maturitatem non perveniunt, quibus decedentibus alia poma succedunt, quæ maturefcunt: sic Judæi quasi primi fructus male feracis Synagogæ grossi labentis similitudine corruerunt præter paucos fideles, eis autem credentibus de pinguedine religionis antiquæ novus Gentium populus emerfit. Ergo per hanc corporalem Christi esuriam, quæ occasionem huic miraculo dedit, denotatur spiritualis Christi fames, quæ salutem Judaici populi seriò desideravit, ea ipsum impulit, ut ad ficum declinaret & fructus in ea quæreret, id est, ut ad populum hunc tanquam minister circumcisionis cum prædicatione Evangelii veniret, per triennium integrum, & quod excurrit, totam Palæstinæ regionem docendo & benefaciendo pertransiret, ac beneficiis compluribus fœcundam eam redderet. Hæc ergo prima causa est, ob quam tantam severitatem erga infrugiferam ficum Synagogæ typum ostendere voluit, videlicet quia tam seriò ejus conversionem & salutem desideravit, quia propter eam plurimum laboris infusus, multum sudoris, imò sanguinis effudit, eò igitur justior est ipsius indignatio & execratio. Accedit altera causa, quod hæc ficus erat diligenter ab ipso curata, plantata, rigata, stercoreta, & tamen manserat infrugifera, Luc. 13. v. 6. Non venit Christus ad arbores sylvestres, id est, Gentiles, sed ad ficum singulari curâ plantatam, id est, ad Synagogam, ad populum Judaicum, præ omnibus Gentibus in peculium Dei electum. Sed sicut hæc ficus foliis redundans fluentibus spem possessoris sui cassâ speratorum proventuum expectatione destituit: ita Synagoga Legis divinæ doctrinâ & ceremoniarum ornatu exuberans, & spem virtutis promittens expectatum bonorum operum fructum nunquam præstitit, ut Ambrosius loquitur. Folia sunt inanis jactatio Legis, templi, cultus, ceremoniarum, traditionum, pietatis, sanctimonix, &c. destituta bonorum operum fructu. Christus enim tot concionibus,



rot miraculis non potuit hunc populum ad fidem in se Messiam perducere, nec blandis nec asperis verbis nec promissis, nec minis, nec doctrinâ, nec beneficiis fructus fidei, pietatis & iustitiæ ab illis impetrare potuit. Ob pertinacem illam sterilitatem Christus ficui huic typicæ maledixit, futurum populi exitum Apostolis ob oculos ponens. Quemadmodum enim Prophetæ non solum verbis, sed etiam rebus ipsis aliquando prophetarunt, Es. 20. v. 2. Jer. 27. v. 2. ita Christus parabolicâ ista ficus maledictione significavit, fore, ut populus Judaicus iusto Dei iudicio omni virore & succo spiritualis fecunditatis privetur, ac quia fructus bonorum operum hoc tempore proferre nolit, deinde fructificare non possit. Ac veluti maledictionis sententiam ficus arefactio protinus excepit: sic Judaicus populus ob Messiam contemptum & incredulitatis sterilitatem à Deo reprobatus, & celestis gratiæ influxu destitutus penitus exaruit. Quia fructus habere noluit, ideo etiam folia illi sunt decussa. Arefacti sunt ritus sacrificiorum & totus cultus Leviticus; exaruit gloria templi; exaruit robur reipublicæ; arefactæ sunt illorum vires, quia in tantis malis præsidio sibi esse non possunt, facti sunt instar ficulnei ligni debiles, & instar aridæ arboris pabulum super sunt æterni ignis, nisi per veram pœnitentiam ad Deum convertantur, & verâ fide Christo arbori vitæ inserantur, quam explanationem apud Matthæum in hoc ipso capite v. 43. subiungit ipse Christus, *aufferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructum ejus.* Neque tamen de omnibus hujus populi individuis hoc accipiendum, quod ob sterilitatem æternæ maledictioni facti sunt obnoxii, quia Deus etiam in hoc populo semen sanctum sibi servavit, sed de Principibus Sacerdotum, Scribis ac Phariseis pertinaciter incredulis, ac de maxima Judæorum parte, quæ in impenitentia, hypocrisis & contemptu Messiam perleveravit. Euseb. Emisl. fer. 3. post prim. Dom. *Hæc ficus Synagoga est, quæ secus viam plantata nullum trans-euntibus solatium præstat. Venit Dominus ad eam, & nihil nisi folia invenit in ea. Folia enim verba sunt, folia literæ sunt. Hæc habet Synagoga, bene enim loquitur, sed non agit, quæ loquitur. Omnia autem hæc de illa parte Synagoga intelligi debent, quæ in sua infidelitate perdurat, & loquitur atis foliis obumbrata spiritualis intelligentiæ fructum non reddit. Huic enim maledixit Dominus. Pro alia verò Synagoga parte oravit, dicens: Pater, ignosce illis, &c. Iste igitur, qui maledicuntur, & qui in æternum fructum non reddunt, Scribæ & Pharisei sunt, qui in Salvatoris nostri morte nimis invidiâ exarserunt.* Sed nec eo sensu hæc maledictio accipienda, quasi perpetuò maledictioni hic populus obnoxius sit futurus, nec unquam fructum facturum, quando enim intravit plenitudo Gentium, totus Israël salvus fiet, Rom. 11. v. 25. 26. ideo etiam hac in parte dissimilitudo est inter maledictionem ficus & reprobationem populi Judaici. Hieronymus tamen, ut jam antè monuimus, radices ficus maledictæ vegetas adhuc mansisse statuit, ut hac etiam in parte typus rei significatæ respondeat. Idem etiam monet, Græcum *εἰς αἰῶνα* verti posse in *seculum*, cum non significet semper & necessariò absolutam æternitatem, sed temporis longinquitatem, quòd ad Synagogam diu sterilem, novissimis autem temporibus iterum progerminantem accommodari posset; Sed & Ju-

dæi ad Christum convertendi, non ferent pietatis fructus, quatenus sunt & manent membra Synagoga maledictæ, sed quatenus Ecclesiæ Christi sese aggregant, & Spiritum vitæ ac gratiæ in illa à Deo accipiunt. Quartò in hac ficu proponitur nobis imago *iustitiæ operum externæ*, quæ coram Dei iudicio non potest subsistere. Gen. 3. v. 7. de primis Parentibus dicitur, quod post lapsum *ex foliis ficus paraverint sibi perizomata*, quibus nuditatem suam tegere voluerunt. Hæc folia ficus denotant externam operum iustitiam, quæ foliis quidem, id est, externâ specie sese commendat, sed internâ fidei iustitiâ ac fructibus destituitur. Ea verò (externa iustitiâ) coram Dei iudicio non subsistit, sed maledictioni Legis subjacet. Niceph. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 27. *Profectio omnis animæ rationalis incredulitati & dissidentia in Christum obnoxia, etiam si legibus literæ tanquam foliis admodum florere existimetur, tamen si lege fidei in Christum, quâ illa maximè nutritur & fovetur, excidat, longè à benedictione Dei distat exarscit.* Velementum qualecunque folia ficus exhibere poterunt, sed ad Christi iudicis imprecationem exarscunt, & nuditas hominis apparet. Pharisei in externâ Legis observatione iustitiam, quæ coram Deo subsistat, querebant, Rom. 10. v. 3. sicque perizomata ex foliis ficus sibi consuebant, sed Christus maledictionem ipsis denunciavit, Matth. 23. v. 13. & seqq. Athanasius, quæst. 58. mysticè ad satisfactionem pro peccato primorum parentum à Christo præstitam accommodat. *Quia, (inquit) Adam post transgressionem accepit folia ficus, quia obrexit suæ turpitudinis peccatum, cum destrueret (Christus) transgressionis peccatum & configeret, deleterq; in cruce, arefecit operculum peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.* Quintò, Psalm. 105. vers. 33. refertur inter reliquas Ægypti plagas liberationem Israëlitarum antegressas etiam ficus grandine percussas fuisse: ita quoque Christus voluit hoc loco ficui maledicere, cum in propinquo esset ipsius passio & mors, per quam ex spirituali captivitate genus humanum erat liberandum. Sextò, in hac ficu proponitur vivum exemplum hypocrisis, Augustin. in Ps. 127. *Qualis fuit illa ficulnea, ubi fructum non invenit Christus esuriens? Folia sua habebat, fructum non habebat, sic sunt, qui verba habent & facta non habent. Veniens ibi non invenit, quod manducet, quia fidem nostram, & facta bona Christus esurivit.* Per naturam omnes sumus arbores in frugifera infernali igni succendendæ, Matth. 3. v. 10. cap. 7. v. 19. sed Deus ex merâ gratiâ per Baptismum, ac per vocationem gratiæ transfert nos in Paradisum suæ Ecclesiæ, sicut hæc ficus sita erat circa Hierosolymam in loco fertili, & aëre temperato. Ac veluti hæc ficus à possessore fuit plantata, rigata, culta, stercoreata, &c. sic Deus gratiam Spiritus sancti in Verbo nobis offert, adhibet culturam suam, mittit præcones Verbi, qui excolant vineam, in qua hæc ficus collocata, Luc. 13. 6. Probè igitur attendamus, ne desimus gratiæ divini, Heb. 12. 15. ac solis foliis, hoc est, nudâ fidei professione & gloriatione luxuriemus, sed simus velut arbor plantata ad rivum aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, Pl. 133. quia plantati sumus in domo Jehovæ, ideo in arvis Dei nostri germina proferamus, Pl. 92. 14. ac fructus iustitiæ, & bonorum operum Deo offeramus. Beda in c. 11. Marci. *Tu quos, si non vis audire in iudicio à Christo:*

disce

*discedite à me maledicti, arbor sterilis esse caveto, sed potius fructum pietatis.* Gloss. ordin. in cap. 21. Matth. Si quis habet folia, id est, verba iustitiae sine fructu operis, meretur excindi. Christus non est contentus nomine arboris, quod ficus vocatur, nec externam ejus speciem, quod viridis est, succulenta & foliosa, sed fructum quarit, inde credentes & verè pii nunquam comparantur infrugiferis arboribus, sed frugiferis, quales sunt ficus, vitis & olea. Jeremiae 24. v. 2. Jechonias, & reliqui in Babylone concaptivi, qui veram egerant penitentiam, praefiguntur in calatho pleno ficibus valde bonis, sed Zedekias & reliqui, qui manserant Hierosolymis, propter impoenitentiam & hypocrisin conferuntur ficibus valde malis. Tales sunt omnes hypocritae, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, Epist. Jud. v. 12. Igni in escam destinatae, Ezech. 15. v. 3. *οὐκ ἐστὶν ἄνθος*, ut Theocritus imbelles vocat, *ficulnei viri*, qui nullum in adversis & tentationibus invenire possunt praesidium, nisi abjecta hypocrisi Christo vitae arbori inferantur, & spirituales vigorem ac succum ab ipso haurientes fructus ferant, Joh. 15. vers. 6. &c. Christus saepe transierat hanc viam, viderat hanc arborem sterilem foliis nudis luxuriantem, sed haec hucusque distimulaverat, expectans, ut vel tandem aliquid fructuum proferret: sic adhuc hodie tolerat hypocritas, *πνεύματι* ipsorum malitiam, Act. 17. v. 30. inde sibi persuadent, se à Deo in sinu foveri: sed haec longanimitas vertetur tandem in severitatem, quia Christus in extremo judicio dicit hypocritis: quia noluitis fructus fidei & bonorum operum ferre, cum adhuc facultas esset, & janua gratiae pateret, ideò in posterum steriles manebitis, & clausa erit janua, maledictioni subiecti eritis in aeternum. Nullus colonus in vinea sua ficum sterilem perpetuo tolerat, Luc. 13. v. 6. quantum minis caelestis *πνεύματος*, Joh. 15. v. 1. in Ecclesiae suae vinea steriles hypocritas perpetuo tolerabit? Denique haec ficus foliosa imaginem exhibet hominum fastuosorum, quos vel uno verbo Christus deprimeret potest & exsiccare, Ps. 37. v. 35. *Vidi impium fortem, & virescentem sive diffidentem se sicut laurus viridis.* v. 36. *Et transiit, & ecce non ipse erat, quae vivi eum, & non est inventus.* Ezech. 17. v. 24. *Scient omnia ligna agri, quod Ego Dominus humiliare feci lignum sublime, & sublimare feci lignum humile; siccare feci lignum viride, & flosere feci lignum aridum.* Ne desperet ergo peccator contritus, qui est lignum aridum, Es. 56. v. 3. quia Dominus lignum aridum potest gratiae suae succo reddere foecundum, sicut aridam Aaronis virgam germinare fecit, Num. 17. v. 8. nec praesumat superbus iustitarius, quod sit lignum viride & frondosum, quia Dominus lignum viride subtrahit gratiae suae virore citò potest arefacere.

II. Pars hujus pericopes continet *repetitam templi repurgationem.* *καὶ ἐξορίσθη*, Regius Codex additum habet *καὶ αὐτὸν*, sicut in historia diei tertiae in omnibus Codicibus Graecis illud additur, Marc. 11. v. 27. *Et veniunt, scilicet inter haec, Hierosolymam, ubi omnis populus adorabat eum, matutinabat ad eum in templo audire eum, Luc. 21. v. 38.* Ingressus autem Jesus in templum Dei, sicut pridè fecerat, vidit denudè magnam copiam ementium & vendentium, quos vix dum die proximè praecedente expulerat. Cum ergo illi non dubitarent ad pristi-

nam negotiationem & cauponationem, velut ad vomitum redire, ideò caelestis Medicus priorem aggreditur medelam, incipiens eicere eos, qui vendebant & emebant in templo, ac mensas nummulariorum & sedes vendentium columbas subvertens. Et non permiste, ut quisquam deportaret vas per templum. Et dicebat, dicens illis, tum vendentibus & ementibus, tum Pontificibus, Scribis & Pharisaïs, quorum permisso mercimonia illa in templo exercebant: *Nonne scriptum est, Domus mea domus precationis vocabitur omnibus Gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quae ad explicationem hujus repurgationis & reformationis pertinent, superius sunt exposita, hoc loco ea duntaxat notanda sunt, quae in repetita hac repurgatione occurrunt specialia. Speciale primum est illud, quod non permisit, ut quisquam deportaret vas per templum. *ἢ Πιστὸν*, sicut, permisit, aoristus est posterior addito praepositionis augmento ab *ἀπιστὸν*, in qua forma alibi in Novo Testamento non occurrit, sed pro eo ponitur *ἀπιστὸν*, Marc. 5. v. 37. Luc. 8. v. 51. &c. Intelligitur autem hoc loco per *τὸ* non permittere, re ipsa impedire, prohibere, sicut apud Hebraeos verba negantia saepe ponuntur pro contrariis affirmantibus & vice versa. Per *καὶ* phrasi Hebraica intelligitur *quaevis supellex*, quodvis instrumentum, sive quaevis utensilia profanis usibus servientia, imò quaevis sarcina, quam vel negotiatores illi vel alii viarum compendia quaerentes per templum deportare consueverant. Ita enim Hebraei usurpant *כלי*, à radice *כלל*, *absolutus*, *perfectus* fuit, pro quolibet organo, quo aliquid perficitur & absolvitur. Psalm. 7. v. 14. Jerem. 21. v. 4. Hof. 8. v. 8. Syrus habet vocem *כלים*, quod proprie significat *tedium ac molestiam*, deinde verò ex Chaldaeo *כלים*, generale nomen est, significans *quodvis vas seu utensile*, quicquid in hominis ulum paratur & perficitur. Matth. 12. v. 28. Luc. 8. v. 16. &c. Quidam distinguunt inter *ἀγγύρον*, quod sit vas liquoris capax, & *καὶ*, quod ad domesticum usum pertineat, sed Joh. 19. v. 29. nominatur *καὶ* & *ὄψις*. Per *vas*, sive *vasa*, (quia singulare hic ponitur pro plurali more Hebraeorum, vel distributive pro quolibet vase,) aliqui hoc loco intelligunt *vasa necessaria ad sacrificia*, ut tacite innuat breviter instare finem Leviticorum sacrificiorum, cum instrumenta ad eorum tractationem necessaria Christus per templum deportari nolit. Sed rectius intelliguntur *vasa prophana*, cujusmodi plurima in templum deferri, ac per illud portari consueverant, cum templum pro foro usurpari cœperat. Ne quis verò cogitet, *Christum hic novum Legislatorem agere*, cum non videatur diserto aliquo mandato prohibitum, ne quis vasa per templum deferat, notandum est, quod ex generali regula de reverentia locis sacris debita hoc deducatur. Voluit enim Christus hac prohibitione docere, templum illud, utpote locum sacrum ac cultui divino destinatum, tam reverenter habendum esse, ut nec per illud transire velimus terrenis negotiis occupati pro itineris compendio, utque nihil quidquam à cultu divino alienum in eo vel tractetur, vel videatur. Potest etiam collationis gratia huc referri, quod Nehemias, cap. 13. v. 15. & 17. graviter objurgat eos, qui *die Sabbati omne*

onus afferebant in Jerusalem, atque hoc ipsum annumerat peccatis, propter quæ populus Israëliticus in captivitate fuerit adductus. Ac Jer. 17. v. 21. dicit Dominus: *Cavete propter animas vestras & ne portetis onus in die Sabbati, nec inferatis per portas Jerusalem; v. 22. neq; efferatis onus de domibus vestris in die Sabbati; v. 27. additur comminatio: Si non audieritis me, ut sanctificetis diem Sabbati, & non portetis onus, nec inferatis per portas Jerusalem in die Sabbati, succendam ignem in portis ejus, & devorabit palatia Jerusalem.* Quodli ergo diei sacro hæc debetur reverentia, ne in eo onus portetur, utique etiam ἀναλογικῶς loco sacro eadem debetur reverentia, ne per illud vas profanum transferatur. Et quia Matth. 21, 12. Christus dicitur ingressus in templum Dei, quod ipsum Syrus interpres hoc loco Marc. 11. v. 15. repetit, eo ipso exprimitur causa, propter quam Christus noluerit vasa profana per templum transferri, nimirum quia fuit templum Dei, locus sanctus, cultui divino destinatus. Apparet autem ex hoc opere reformationis duplicem esse abusum eorum locorum, qui cultui divino sunt consecrati, unum ad dextram, alterum ad sinistram. Ad dextram, si hypocrisis, falsa doctrina, superstitio, depravatus cultus, & similia, in illis regnent: ad sinistram, si in profanos usus convertantur, si absque ulla divini Numinis reverentia conventus politici in illis instituantur, in quibus de mercimoniis & aliis vanis ac profanis rebus tractetur. Utrumque abusum Christus hoc loco taxat, & docens in templo, ostendit, verum templorum usum in eo consistere, ut conventus sacri in eis instituantur, in quibus doctrina de Deo proponatur, & publicæ preces fiant, sicut statim addit: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Quamvis verò in Novo Testamento non habeamus ejusmodi typicum templum, quale fuit Hierosolymitanum, tamen cum in sacris ædibus Verbi divini prædicationi, & Sacramentorum administrationi destinatis nil nisi sacra tractare conveniat: ideo hoc Christi interdictum ad nos quoque certo modo pertinere statuamus. Potest etiam hoc ipsum abusui bonorum Ecclesiasticorum opponi. Quod si enim Christus permittere noluit, ut profanum aliquid vas templo inferretur, vel per illud transferretur, num putabimus ipsi placere, si vasa sacra & opes templi ex eo efferantur, & divino cultui consecrata in profanos usus convertantur? Glossa ordinaria id ipsum mysticè sic applicat: *Domus Domini cor tuum est,* (in eo enim per fidem vult habitare, Eph. 3, 17.) *ejectio est cordis purificatio, ut non tantum peccata, que inerant, tollat compunctio divinitus immissa, sed ne ultra repetantur, adjuvet divina gratia.* Quando igitur avaritia per ementes & vendentes significata est ex templo cordis divinæ gratiæ virtute ejecta, cavendum est, ne denuò profana vasa, id est, avaritiæ irritamenta ei inferantur. Alterum speciale est, quod interrogativè hoc loco Christus dicit: *Nonne scriptum est?* cum in priore ejectione vendentium affirmativè dixisset: *Scriptum est.* Quamvis verò usitatum sit simplicem affirmationem in forma interrogandi proponere, Obad. v. 5. tamen interrogationis hoc loco major est emphasis. *Nonne scriptum est?* hoc est, ad eone in Scripturis estis hospites, ut nesciatis, disertis verbis in eis annotatum esse, quod hæc domus mea sit domus preceationis? Num tam citò vobis excidit, quod hesternò die clarissimam Scripturæ literam

pestilentissimo huic abusui opposui? Nonne pudet vos, Verbis Dei viventis tam directè adversari? Tertium speciale est, quod Christus dicit, *domum suam vocatum iri domum preceationis omnibus Gentibus,* qui προσδοκῶσιν apud Matthæum & Lucam in prioris ejectionis descriptione non additur. Extat autem disertis verbis, Esa. 56, 7. ex quo loco Christus hoc oraculum adduxit. Quamvis verò vaticinium illud in templo typico Hierosolymitano ex parte fuerit impletum, siquidem ad illud orandi & sacrificandi causâ convenerunt non solum Judæi, sed etiam Gentiles, ut superius in explicatione, Joh. 12. v. 20. demonstramus, præcipuè tamen & principaliter hoc impleri debuit, hodieque impletum est in Ecclesia Novi Testamenti per templum Hierosolymitanum præfigurata, quæ collecta est ex omnibus populis & Gentibus per Evangelii prædicationem Hierosolymis cœptam, atq; inde in totum terrarum orbem propagatam, Ef. 2. v. 2. Mich. 4, 1. Luc. 24, 47. Act. 1, 8. per quam Judæi & Gentes in unum corpus mysticum coaluerunt, ac uno corde Deū agnoscunt, uno ore ipsum invocant & celebrant, uno Spiritu ipsi serviunt, quæ omnia orationis voce apud Prophetam comprehenduntur, cum vera & Deo grata oratio sine vera Dei agnitione, fide, timore, & cultu locum habere nequeat. Sed de his atq; aliis ad pleniorum hujus Historiæ explicationem pertinentibus superius fuit actum. Hic illud duntaxat notare convenit, quod negotiantes è templo in die palmarum expulsi sequenti statim die ad quæstum suum in loco sacro exercendum convenerint, quodque Pontifices, Scribæ & Pharisei acrem Christi oburgationem nihil veriti abusum illum publicum denuò permiserint. Apparet ex eo, quam pertinax morbus & malum propemodum inmedicabile sit avaritia ac lucri cupiditas, si corda hominum, præsertim eorum, qui Ecclesiasticis funguntur officiis, semel obsederit. Testatur etiam hæc repetita vendentium & ementium ejectione de zelo Christi, & diligentia in perficiendis vocationis suæ operibus. Videbat Pontifices & Phariseos ex insana pecuniæ cupiditate pessimam suam nundinationem pridie solenniter abrogatam denuò in templo instituisse: ideo non minori zelo reformationis opus denuò aggreditur, non quod templum illud externum, quod brevi evertendū noverat, tantoperè ipsi curæ esset, sed ut exemplo suo ostenderet, quanto zelo, quantavè diligentia abusus & profanationes divini cultus ex Ecclesia, cujus typus erat templum, eliminare debeant, ad quos ea cura propriè pertinet. Illi verò sunt, qui in publico officio Ecclesiastico ac politico constituti sunt. Cum enim in hac templi repurgatione Christus Propheticum & Regium suum officium exequatur, eo ipso ostendit, ad Ecclesiæ Doctores & Christianum Magistratum pertinere, ut publicæ religionis & cultus divini corruptelæ è medio tollantur. Cumq; in opere reformationis Christus provocet ad Verbum, *nonne scriptum est?* inquit, eo ipso ostendit, normā reformationis in constituendo cultu divino, & repurganda doctrina, solam atque unicam esse Dei Verbum. Denique quia ejectione è templo vendentibus & ementibus, Christus prohibet, ne profana vasa per illud transferantur, eo ipso monet, ut sublatis abusibus & superstitionibus sedulo caveamus, ne opes templi & quæ

quæ ad externum Dei cultum pertinent, ad prophanos usus transferantur, quod si ab omnibus, qui reformationis opus susceperunt, diligenter fuisset observatum, meliore profectò loco & ipsorum & Ecclesiæ res consisterent.

Subjungit autem Marcus consequens repetitæ hujus templi repurgationis. *Et audierunt Scribæ, Principesq; Sacerdotum, & quærebant, quomodo illum essent perdituri, timebant enim eum, quod tota turba obstupescerat super doctrina illius.* Nimirum eandem gratiam à Proceribus Hierosolymitanis divino suo munere Christus impetrat, quam pridè fuerat consecutus. Audiverant acerbam illam objurgationem, *vos domum meam fecistis speluncam latronum,* & quia in conscientis suis erant convicti, quod prophanationis hujus autores & patroni existant: ideo rectè judicabant, ad se primariò ac principaliter severam illam accusationem pertinere. Principes Sacerdotum tanquam Proceres templi quæstus sui causâ hosce mercatus & negotiationes in ipso loco sacro institui permittebant. Scribæ, sive quod idè est, Legis periti, colore aliquem ex Lege divina huic nundinationi quærebant, quod ad sacrificiorum in proximo quærendorum commoditatem, ac consequenter ad promovendum divinum cultum faceret, ac si absque Pontificum permissione fuisset, nemo venalem columbam templo inferre fuisset ausus. In eo igitur non errabant, quod increpationem Domini ad se potissimum spectare judicabant: sed in eo reprehensionem merentur vel maximè, quod templi reformationem, & Dominicam increpationem sic interpretabantur, ac si maximâ, videlicet non verbali tantum, sed etiam reali à Domino affecti essent injuriâ. Pontifices autoritatis suæ fastigium peti existimabant infamè illâ vendentiû ejectione, quos ipsi in templum admiserant, unde paulò post à Christo quærent, *quâ autoritate istud faciat?* Scribæ de fama eruditionis periclitari sibi videbantur, si ex divinis oraculis illud ipsum damnaretur, quod iisdè conforme judicaverant. Utrique, ne quæstui aliquid decederet, metuebant. Ex falsa illa persuasione, & præpostero honoris ac quæstus studio oriebatur, quod factis verbisq; Christi stimulatè efferatioribus reddebantur, cum ex illis potius emendari, abusus publicos agnoscere, & conjunctè operâ abrogare deberent. Inde quærebant, *quomodo Christum essent perdituri.* *ἤτις.* sollicitam inquisitionem significat quando summò studio & accuratâ diligentia aliquid quaritur, Matth. 2, 13. cap. 6, 33. cap. 7, 7. cap. 18, 12. &c. Syrus habet verbum *ἠρώτων*, *quæsitivè scrutatus est.* Sensus igitur est, quod ad summam in inquirendo diligentiam nihil reliqui fecerint, sed in omnes occasiones intenti fuerint, *πῶς, quomodo eum perderent.* Non de re quærebant vel consultabant, an velint eum perdere, sive è medio tollere, quia jam dudum illud decreverant, sed de modo rei, quâ scilicet ratione absque periculo seditionis civicæ sanguinarium suum consilium exequi possent. *Timebant enim eum, quod tota turba obstupescerat super doctrina illius.* *ἀνωγεινῶς* prioribus hoc ipsum subijci & causam exponi, cur tam sollicitè de modo Christum è medio tollendi disquirerent, manifestum est ex particula *ἄρα*, sed quid per metum illum propriè intelligendum sit, dubitari potest. Quidam illud sic accipiunt, quod divinam Christi potestatem ex heroico illo Christi factò agno-

verint, ac metu ejus repressi fuerint, quò minùs consilium de Christo interficiendo effectum dare conarentur. Et sanè verissimum est, Christum in hac eminentium & vendentium ejectione radios quosdam divinæ suæ potestatis exeruisse, ac majus aliquid humanis viribus in hoc opere apparuisse, quod nullus spectatorum suâ vel autoritate vel potentia ei resistere fuerit ausus. Sed quod divinam illam potentiam Christi in & ex hoc factò Pontifices cum Scribis agnoverint, eamque timere cœperint, id verò nullo modo est verisimile, statim enim quærent, *quâ autoritate hoc faciat*, ac propter antegressum doctrinæ Christi contemptum jamdum tantâ mentis cœcitate percussi erant, ut divinam Christi potestatem ex hoc miraculo agnosce-re nec vellent nec possent. Præterea si hoc voluisset Evangelista significare, non *ratiocinativam*, sed *adversativam* particulâ adhibuisset. *Quærebant, quomodo Christum perderent, sed timebant eum*, id est, metu divinæ potestatis in hoc miraculo animadvertæ revocabantur. Tantum verò abest, ut Evangelista asserat, metum illum remoram & impedimentum ipsis objecisse, ut causam impulsivam potius sanguinariæ hujus molitionis eum fuisse addat. Quidam ergo metum illum sic interpretantur, *quod suæ autoritati, suòq; quæstui ex hoc factò Christi timere cœperint.* Pontificum, Scribarum & Phariseorum autoritas apud omnes erat maxima, ut constat ex Josepho, lib. 18. antiquit. cap. 2. quæstus etiam ex hac negotiatione in templo susceptâ ipsis quotidie nascebatur uberrimus, metuebant ergo, ne dignitas & quæstus penitus interverterentur, si populus Christo adherere pergeret, atq; acres illas objurgationes quotidie ab ipso audiret. Sed ex collatione loci paralleli, Luc. 19. v. 47. & 48. *quærebant illum perdere, & non inveniebant, quid facerent illi, omnis enim populus suspensus erat audiens illum,* manifestè apparet, Evangelistam exponere causam, cur tam sollicitè de modo Christum è medio tollendi quæriverint, timebant enim, ne si manifestam vim ipsi inferrentarent, populus, qui doctrinam Christi admirabatur, manus violentas ipsi injici prohiberet, ac potius quàm Doctorem tam præclarum è medio tolli permetteret, exorto tumultu in ipsos sanguinarij hujus consilii autores insurgeret, quærent igitur modum, quo sine periculo seditionis ipsum è medio tollere possent; sicut explicatio addit, Marc. 14. vers. 2. Talis modus occurrebat duplex, vel, ut plebe inficiâ occultis machinationibus Christum interficerent, vel, ut plebem, cujus inconstantiam noverant, ab ipso alienarent, & consequenter bonâ cum ipsius gratiâ contra Christum aliquid tentarent, atque hunc posteriorem modum elegerunt, unde in arenam disputationis cum ipso descenderunt, certo sibi persuadentes ipsum confusum & convictum iri. Quod ergo hoc loco dicuntur, *Christum timuisse*, re ipsâ nihil aliud est, quàm quod plebem Christo adherentem timuerint, ne per illum vel occasione illius plebs contra ipsos sanguinem innoxium effundere cogitantes insurgeret. Neque enim populus duntaxat ab ore docentis Christi pende-bat, sed etiam *ἐξ επαλήθευτο*, *obstupescerat super doctrina ejus.* *ἐκ επαλήθευτο* vel *ἐκ επαλήθευτο*, proprie significat *animo percelli*, *obstupescere* & *excuti*, qui enim animis percelluntur, illis veluti valido quodam ictu mens excutitur. *ἐκπαλήθειν* autor Medi-

Medicorum definitionum dicit esse mentis ab alienationem, quæ ex repentina quadam perturbatione extrinsecus provenit. Galen. in comment. lib. 7. aphor. 14. *ἐκπαθήσει* esse dicit, cum quis ex morbo nec loquitur, nec quicquam agit, sed aperti oculis quietus manet, velut præ timore attonitus. Evangelistæ sæpius hoc verbum usurpant tum de auditoribus doctrinæ Christi, qui extra se quasi rapiebantur, & attoniti erant, quando Christum docentem audirent, Matth. 7. v. 28. cap. 13. v. 54. cap. 19. v. 25. Marc. 1. v. 22. cap. 6. v. 2. cap. 10. v. 26. Luc. 4. v. 32. tum de spectatoribus miraculorum ejus, qui itidem majestate eorum percellabantur, Marc. 7. v. 37. Luc. 9. v. 43. Syrus habet verbum *ἄνωγναι*, admiratus est, attonitus fuit, obstupuit, à quo formatur *ἄνωγναι*, *ἐκπαθῶ*, sive mentis excessum significans, Actor. 10. v. 10. sicut etiam LXX. *ἐκπαθήσει* usurpant pro *ἄνωγναι*, Eccl. 7. vers. 17. quod aliàs reddunt *ἐξίστημι*, extra me sum, 1. Reg. 9. v. 8. 2. Par. 7. v. 21. Esa. 52. v. 14. &c. Unde verò obstupuerint turbæ super doctrina Christi, ejus rei causam ostendit Matthæus, cap. 7. v. 19. *et enim docens eos tanquam potestatem habens, & non sicut Scribæ: & cap. 13. v. 54. obstupecebant dicentes, unde huic sapientia? Obstupecebant ergo tum ob apparentem doctrinæ Christi novitatem, pugnabat cum doctrina Pontificum & Phariseorum cum doctrina Moysis & Prophetarum; tum ob miram ejus in animis hominum efficaciam & virtutem, non docebat frigidè & oscitanter, sicut Scribæ & Pharisei; tum ob rerum & mysteriorum, quæ proferebat, sublimitatem, non tractabat de traditionibus humanis & frigidis ceremoniis: sed de sublimibus & augustis fidei mysteriis; tum ob sermonis, quo in docendo utebatur, perspicuitatem; tum ob invictam argumentorum, quibus contra adversarios utebatur, soliditatem; tum ob miraculorum, quibus doctrinam suam confirmabat, augustam majestatem, quorum omnium nihil quidquam in doctrina Scribarum & Phariseorum inveniebatur. Apparet autem ex hoc loco 1. quid expectandum sit illis, qui divini cultus instaurationem, & publicorum abusu abrogationem suscipiunt, videlicet magnatum odia, & omnis generis pericula. 2. Quod impii terrenis suis commodis metuant, si reformationis negotium suscipi animadvertunt, Actor. 19. v. 26. 3. Quod illi, qui suis commodis, suoque honori unice intenti sunt, admonitionibus & objugationibus non patientur se emendari, sed ad crudelitatem magis irritentur, Prov. 25. 20. Amos 5. v. 10. Pontifices & Scribæ debebant admirari divinum Christi zelum, & doctrinam verè divinam, quæ corda auditorum percellabantur: sed ex horribili cœcitate & impietate de modo Christum perdendi consultant. 4. Quod Ecclesia Cainica semper sit sanguinaria. 5. Quod hypocritæ homines timeant, cum Dei timore interim destituantur, Pf. 14. 5. Pf. 53. 6. 6. Quod hostibus suis formidabiles sint, qui bonam fovent causam, ac divino patrocinio tuti, donec vocationis suæ cursum absolverint. Sed de his & aliis doctrinis ex textu pululantibus etiam superius aliquid monuimus.*

III. Pars hujus pericopes continet *vale dictoriam Christi*, de suo officio, concionem, quam solus Johannes annotavit. De tempore & occasione hujus concionis diximus superius, quod Christus, tum Judæorum incredulitati, quæ nolabant in ipsum cre-

dere; tum quorundam timiditati, quæ nolabant ipsum confiteri, hac concione mederi voluerit. Antequam verò Evangelista eam describat, primò exprimit dicentis affectum: *Jesus autem clamavit & dixit*. Verbo clamandi quidam *καρπύριον*, sive libertatem docendi, quæ Christus hic usus fuerit, duntaxat significari arbitrantur, de qua coram Pontifice postmodum dicit, Joh. 18. v. 20. *Ego palam locutus sum mundo: Ego ubi docui in Synagoga & in templo*. Sensus igitur foret: *Jesus clamavit*, hoc est, palam & aperte in publico docuit, non in angulo occultè missitavit, sicque vox clamandi opponeretur illi, quod vers. 36. dictum fuerat: *Hæc locutus est Jesus, & abiit, & abscondit se ab eis*; ac significaretur, Christum non in abscondito diu delituisse, sed denuò in publicum proditisse, ac in templo, in loco illo publico, magnâ libertate docuisse, quo sensu etiam Johannes dicitur *vox clamantis in deserto*, Matth. 3. v. 3. Joh. 1. v. 23. quia publico doctrinæ præconio, & magnâ animi libertate in ministerio suo usus est. Sed nihil impedit, quò minus literalem Verbi sensum retineamus, ac Christum in his, quæ sequuntur, proferendis vocem elevasse, sive intendisse, statuamus, sicut etiam Joh. 7. v. 28. *clamabat in templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim, scitis, & à me ipso non veni; ac v. 37. in novissimo die magno festivitatis stabat, & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; quam concionem huic ipsi parallelam esse, collatio ostendit. Clamavit autem, 1. ut ab omnibus præsentibus audiri posset. Neque enim ad paucos quosdam hanc concionem instituit, sed in frequentissimo eorum confessu, qui ad festum Paschatos venerant, inque templo præsentem erant. 2. Ut ostenderet, se de rebus magnis locuturum, quarum cognitio omnibus omninò necessaria sit, quasve proinde omnes attentis auribus & mentibus percipere debeant. 3. Ut ardorem spiritus, & singularem illum affectum, quo in docendo tunc utebatur, manifestum faceret, clamant enim, qui anxie & piè rem agunt, Pf. 130. 1. Cyrillus, lib. 8. in Joh. cap. 23. & ex eo Lyranus, h. l. *clamavit Jesus, ad denotandam magnitudinem dicendorum, & sui affectus ad salutem hominum*. 4. Ut mutam aliorum fidem suo exemplo reprobaret. Docet enim hoc clamore suo, se nolle occultè & timidè ab hominibus coli, ac factò ipso timidò illos monet, se diutius fidem suam occultent: sed publicè coram omnibus profiteantur, sicut videant, se nihil quicquam veritum Phariseorum odia & pericula, clarâ voce publicè profiteri illud, quo nihil molestius Pharisei audiebant, videlicet se Patri æqualem, & verum cum ipso Deum esse. 5. Ut auditores suos inexcusabiles redderet. Ruperus in hunc locum: *idè clamavit, quia parum temporis illis restabat ad credendum, ne ignorantia excusationem præstenderent*. Nimium voluit Christus gravi consilio hanc totius prædicationis suæ summam, paucis ante mortem diebus, in media Hierosolyma, in loco publico, in præsentia magnæ multitudinis, disertis verbis & cum clamore proferre, ut inexcusabiles redderentur, quotquot adhuc ipsum rejicere pergerent. Voluit insuper hæc gravi & seriâ contestatione ingratis & incredulis Judæis clarâ voce publicè valedicere, de sua diligentia, quæ salutem ipsorum hæctenus seriò quaesivit, coram omnibus testari, & culpam incredulitatis & exitii unice in ipsosmet conferre. Scopus enim

enim principalis totius hujus concionis in eo consistit, quod in Christum mundi Salvatorem & exhibitum Messiam sit credendum, quodq; fidem illam nullâ periculorum habita ratione unumquemvis publicè profiteri oporteat, cujus exhortationis suæ varias Christus adducit rationes. Lyranus eas ad tria principalia capita revocat. *Infidelitas Judæorum* (inquit) *hic arguitur à Christo & dividitur in tres partes, inducit eos ad credendum, ostendit fidei fructum & minatur incredulis supplicium.* Primum igitur argumentum ducit à personæ suæ dignitate. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.* Mirabilis videtur hæc locutio & contradictionem quandam involvere. Quomodo enim non credit in Christum, qui in eum credit? & si is non credit in Christum, qui in eum credit, quantum minus in eum credit, qui non credit in eum, siq; nullus credit in Christum. Quidam statuunt, sensum verborum Christi esse eum: Nemo putet me hoc agere, ut mei causâ ac meo comodo in me credi velim, nemo etiam statuat, se mihi incommodaturum, si non credat in me. Si quis in me credit, non mihi, sed Patri, qui me misit, hunc honorem impendit; si non credit, nec mihi, nec Patri, sed sibi ipsi nocet. At quia statim additur, *qui videt me, videt eum, qui misit me*, alius quærendus est horum verborum sensus. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 5. Cyrillus, Augustinus & Beda in h. l. statuunt, hæc à Christo dicta esse καὶ ὁ πόλις αὐτοῦ auditorum, qui Christum merum ac nudum hominem esse existimabant, ut sit sensus: *Qui credit in me, non credit in me, hoc est, in nudum hominem, qualis vobis esse videor; non credit in eum, quem similem putatis esse aliorum hominum, neque personæ ratione ab illis differre, sed credit in eum, qui misit me, hoc est, in verum Deum, à quo ad officium prædicationis & redemptionis missus sum.* Sic ergo Christus his verbis auditores excitaret ad fidem doctrinæ suæ habendam, & ad publicam ejusdem professionem argumento eo, quod sit Legatus Patris cœlestis, quali dicat: Non est, quod metuatis, ne mihi credentes seducamini, sicut ab aliis Pseudo-doctoribus, qui in suo nomine veniunt, non missi divinitus, auditores seducuntur, *sed qui credit in me, is non credit in me tanquam hominem solum, eumq; vanum & mendacem, sed credit in eum, qui misit me & in cujus nomine veni.* August. tract. 54. in Joh. *Non à se abstulit fidem credentis, sed noluit in forma servi remanere credentem.* Lib. 1. de Trinit. c. 13. *Qui in me credit, non in hoc, quod videt, credit, ne sit spes nostra in creatura, sed in eo, qui suscepit creaturam, in qua humanis oculis apparet.* Alii subintelligunt particulam tantum sive solum. *Qui credit in me, non credit in me, scilicet solum vel tantum, sed etiam in eum, qui misit me.* Posset hæc accommodari regula Theologica, quod negatio quandoque sit explicanda per comparationem, quodq; particula negativa non interdum ponatur pro non solum, præsertim quando sermo est de legatis & ministris Dei, qui in suo officio nomine mittendis aliquid agunt vel sustinent. Exod. 16. v. 8. *Non contra nos sunt murmuraciones vestre, sed contra Jehovam, id est, non tam contra nos, quam contra Jehovam.* 1. Sam. 8. 7. *Non te spreverunt, sed me, ne regnem super eos, non te scilicet solum, vel potius me, quam te spreverunt.* Marc. 9. v. 37. *Qui me suscepit*

Harm. Tom. II. vel Verb. Contin. pars prim.

*perit, non suscipit me, sed eum, qui misit me, id est, non me solum, sed etiam eum, qui me misit, vel tam eum, qui misit me, quam me ab ipso missum.* Joh. 5. v. 30. *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, id est, non tam meam, quam Patris voluntatem.* cap. 6. v. 38. *descendi de celo, ut faciam non voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, id est, non principaliter nec solum meam, sed mittentis voluntatem.* cap. 7. v. 16. *mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me, id est, non tantum mea, sed & Patris vel potius Patris, quam mea.* Act. 5. v. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo, id est, non tantum hominibus.* 1. Thess. 4. v. 8. *Qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Hisce loquendi modis significatur, honorem Legato exhibitum, uti etiam ignominiam, quâ affectus est, redundare in ipsum legantem, qui illum sit remuneraturus, hanc vero vindicaturus tanquam sibi factam, sicque negatio in his dictis posita non tam negat quam exaggerat, est potius ἀνεπιτηδία, quam ἐκκλησιαστική. Potest hoc ipsum ad præsentem textum accommodari. *Qui credit in me, non credit in me solum, sed etiam in eum, cujus Legatus sum, quia honor missio impensus in mittentem redundat.* Sed verba immediate subsequenter, *Qui videt me, videt eum, qui misit me*, ostendunt, veram quidem esse hanc explicationem, non autem plenam, Christus enim altius ac sublimius quid his verbis proponit nec solum ratione missionis, sed etiam ratione ὁμοουσίας cum Patre hoc accipiendum esse docet, quod, qui in Christum credit, non credat in eum scilicet solum, sed etiam credat in eum, à quo missus est, hoc est, in Patrem, cum quo est unius naturæ & essentia, æqualis potestatis & gloriæ, sicut Joh. 14. v. 9. dicit: *Qui videt me, videt etiam Patrem:* ac statim ἐξηγήσεως causa subjungit v. 10. *Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor, à me ipso non loquor, sed Pater in me manens ipse facit opera.* Coniungenda igitur est utraque explicatio. *Qui credit in me, non credit in me solum, sed etiam in eum, qui misit me, tum quia honor missio impensus redundat in mittentem, tum quia sum unius naturæ & essentia cum Patre, à quo missus sum.* Illud ipsum etiam confirmat phrasis, quâ Christus hoc loco utitur. Non enim dicit, qui credit mihi, fidei verbis meis adhibendo, quâ ratione etiam alius Dei legatis & ministris credere oportet: sed qui credit in me, fiducia cordis sui in me collocando, quâ ratione in solum verum Deum credere oportet. Sic ergo non tantum confirmat eorum fidem, qui jamdum in se credebant, & ad fidei illius publicam confessionem nullâ periculorum ratione habita edendam eos animat, ostendendo, quod virtute divinâ Patris cœlestis, in quæm credunt, sint conservandi, sed ad sublimiorem fidei gradum eos provocat, ut scilicet non solum credant sibi tanquam Legato Patris cœlestem veritatem proponenti, sed etiam credant in se tanquam verum cum Patre Deum & promissum mundi Salvatorem, fiduciam cordis in se collocando. Eodem sensu verba ista accipit Fulgentius lib. 3. ad Thrasymund. cap. 3. *Ad distinctionem gemine personæ & professionem unius substantiæ in Patre & Filio per docendam ipse Filius hoc dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Evidens igitur

Y

igitur

igitur testimonium Deitatis Filii, ejusque cum Patre *ὁμοουσίως* in his verbis proponitur. Quod si enim Christus eâ ratione unum est cum Patre, ut qui credit in eum, necessariò etiam credat in Patrem, ac si in Christum credere, id est, fiduciam cordis in eum collocare debemus, utique est verus Deus & ejusdem cum Patre Naturæ & essentia. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 4. refert, Arianos ex hoc ipso loco divinitatem Christi oppugnasse. *Ad extremum, inquit, ut Christianos se non esse manifestent, negant in Christum credendum esse, dicentes scriptum esse: Qui in me credit, non credit in me, sed in eum, qui me misit.* Respondet autem Ambrosius. *Videte, quid sequatur & videte sic, quemadmodum se Dei Filius vult videri. Sequitur enim: Et qui videt me, videt eum, qui me misit, hoc est, quia Pater videtur in Filio.* Expositum igitur id, quod ante me præmisit. *Quia ille credit in Filium, qui confiteatur & Patrem. Nam qui Filium nescit, nec Patrem novit. Omnis enim, qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confiteatur Filium & Filium & Patrem habet. Quid est ergo, non credit in me? non in id, quod corporaliter cernitis, non in hominem tantummodo, quem videtis. Non enim in hominem tantummodo credendum asseruit, ut credas, quia Jesus Christus ipse est & Dei Filius & homo, &c. Negi enim fas est credere, quod negaverit in se credendum esse, cum ipse dixerit: Ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Et alibi: Hæc est enim voluntas Patris mei, qui me misit, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi: Creditis in Deum & in me credite, &c.* Potest etiam responsio peti ex illis, quæ dicta sunt superius, videlicet quod negatio hoc loco non simpliciter neget, nec exclusivè sit accipienda, sed inclusivè quia aliis in locis jubet in se credere. Quando igitur hoc loco dicit, *qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me,* nequaquam absolutè & simpliciter negat in se credendum esse, sed credendo in se etiam in Patrem credi asserit, ut sit sensus: *Quemadmodum qui in Patrem credit, in verum Deum credit, ita qui in me credit, in verum Deum credit, quia ego & Pater unum sumus,* Johan. 10. v. 30. Tacite etiam eos perstringit, qui ob contentam speciem externam in se credere recusabant, vel certè fidem suam confiteri non audebant, innuens eos verum Deum non agnoscere, nec in eum credere, quantumvis videri velint sibi; persuadeant se in verum Deum credere. Et quia veram suam divinitatem Christus ex eo demonstrat, quod credendo in se credatur in Deum, eo ipso ostendit, non in homines, sed in Deum credendum ac fiduciam cordis collocandam esse, Jerem. 17. v. 5. *Quamvis enim fidei nostræ objectum non sit nuda Christi divinitas, sed tota persona duabus constans Naturis sive Christus *θεὸς καὶ ἄνθρωπος*, causa tamen credendi non est humana Natura in suis essentialibus principiis & proprietatibus considerata, sed Deitas *τὸ λόγος*, cui cum humana Natura sit personaliter unita, ideo cordis nostri fiducia non debet separatim & seorsim ferri in divinam Naturam exclusâ humanâ, sed in totum Christum secundum utramque Naturam, & in utraque Natura est credendum.*

Cæterum hanc suam cum Patre *ὁμοουσίως* Christus evidentius exprimit, quando subjungit: *Et qui videt me, videt eum, qui misit me,* ostendens se ad eò cum Patre unum esse, ut se viso, etiam Pater videatur. At si viso Filio statim etiam videtur Pater,

consequens est, aut Patris & Filii esse unam personam, aut utriusque unam & indivisam esse essentiam. Prius repugnat aliis Scripturæ dictis, cum primis loco Johan. 5. v. 17. & 18. ubi suum & Patris testimonium Christi ut duorum testimonium adducit, quin & verbis præcedentibus, ubi Christus se à Patre missum esse docet, relinquitur igitur posterius, videlicet quod Patris & Filii sit una essentia, propter quam viso Filio statim videatur Pater, quo modo colligunt Athanasius orat. 1. contra Arianos, & Marius Victorinus lib. 4. advers. Arian. unde pulcherrimè dicit Irenæus lib. 4. adv. hæres. cap. 14. p. 241. *Invisibile Filii Pater, visibile Patris Filius.* Cùm verò triplex sit Christi visio, videlicet viso corpore in terra, quo modo eum in terris agentem viderunt Apostoli & Judæi, visio spiritualis per fidem & visio clara ac beatifica in cælo, inde questio oritur, de qua visionis specie Christus hoc loco loquatur. Perique veterum ut Origenes lib. 7. contr. Cels. & homilet. 3. in Cant. Chrysof. hom. 68. in Johan. Ambros. lib. 5. de fide cap. 5. August. tract. 54. in Johan. accipiunt de visione mentis sive spirituali ac internâ, quæ fit per fidem, quæ expositio confirmari potest ex eo, quod Christus non utitur hoc loco verbo *ιδῆαι*, sed *θεωρεῖν*, quæ vocula sæpius significat speculari & contemplari, quod mentis potius est, quam oculorum corporaliū, hinc apud Plutarchum *τὸ πρὸς τὸν ἄσπρον θεωρεῖν*, interprete Budæo, sunt, quæ de astrorum ratione comprehensa sunt à Philosophis, ac *θεωρηματα* sunt speculamenta disciplinarum & velut commentationes. Atque hoc sensu videlicet pro mentali cognitione usurpatur τὸ θεωρεῖν, Johan. 4. vers. 19. cap. 12. v. 19. cap. 14. vers. 17. Hebr. 7. vers. 4. atque ἐγγυητικός per τὸ τῆς οὐρανόθεν exponi videtur Johan. 6. vers. 40. LXX. utuntur pro *θεωρεῖν*, tacite cogitavit, excogitavit, formavit aliquid in animo, Proverb. 31. vers. 16. item pro *θεωρεῖν*, quo verbo etiam Syrus paraphrastes hinc utitur, quod de visionibus Prophetis menti oblati usurpatur & sæpius ad animum refertur, Dan. 4. vers. 10. cap. 7. vers. 2. &c. quinimo quidam notant, hanc voculam quandoque significare idem, quod Deum contemplari, ut *θεωρεῖν* sit quasi τὸν θεὸν ὁρεῖν, (Iones enim pro ὁρεῖν dicunt ὁρεῖν) quod tamen allusivum potius statuendum, quam genuinum etymon. Præterea si de corporali visione Christus hoc loco loqueretur, nec ad nos, nec ad majorem partem fidelium, qui ipsum carne non viderunt, 1. Petr. 1. v. 8. hæc sententia pertineret. Et sanè facile concedimus, Christum præcipuè & principaliter de visione mentali ac spirituali, quæ fit per cognitionem & fidem, hic loqui, ut sit sensus: *Qui ex doctrina Evangelii, quam prædico, & ex miraculis, quibus doctrinam illam confirmo, me rectè cognoscit, is eo ipso cognoscit etiam eum, qui misit me, utpote cum quo sum unius indivisæ naturæ & essentia, proinde ut ego & Pater non separamur in essentia & operatione, 1. Johan. 5. v. 19. ita quoque non separamur in cognitione. Atque hæc pertinent dicta parallela, quæ Patris & Filii salutarem cognitionem arctissimo nexu invicem conjungunt. Mat. 11. v. 26. Nemo novit Filium, nisi Pater, nec Pater quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare, in quæ verba Irenæus dict. loc. sic commentatur: *Agnitio Patris est Filii manifestatio. Omnia per verbum**

bam manifestantur. Ut ergo cognosceremus, quoniam qui advenit Filius, ipse est, qui agnitionem Patris facit credentibus sibi dicebat discipulis: Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, neque Filius, nisi Pater, & quibuscunque Filius revelaverit, docens, semetipsum & Patrem, sicut est, ut alterum non recipiamus Patrem, nisi eum, qui à Filio revelatur. Et postea. Revelaverit non solum in futurum dictum est, quasi tunc inciperet Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus, sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati revelat omnibus Patrem, quibus vult & quomodo admodum vult Pater, & propter hoc in omnibus & per omnia unus Deus Pater, & unum Verbum & unus Filius & unus Spiritus & una fides & salus omnibus credentibus in eum. Johan. 5. v. 23. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui misit illum. cap. 14. v. 7. Si cognovissetis me, etiam Patrem meum cognovissetis. v. 9. Qui videt me, videt etiam Patrem. v. 10. quia ego in Patre & Pater in me est. 1. Johan. 2. v. 23. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet, ubi in vulgata versione additur: Qui conficitur Filium & Patrem habet. 2. Johan. v. 9. Omnis, qui transgreditur & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui manet in doctrina Christi, & Patrem & Filium habet. Sic ergo in spirituali visione cognitio Patris & Filii sunt indissolubiler connexa, ut nec Pater absque Filio, nec Filius absque Patre rectè cognosci possit, quod ipsum etiam probat definitio Patris. Pater enim est prima persona Trinitatis, quæ ab aeterno genuit Filium. Quisquis juxta hanc definitionem in Scripturis traditam Patrem cognoscit, is etiam vi perpetuæ & immotæ relationis Filium cognoscit: & vice versâ, Filius est secunda Trinitatis persona essentialis Patris ab aeterno genita. Quisquis juxta hanc definitionem Filium cognoscit, is etiam vi relationis Patrem cognoscit, unde Filius dicitur *imago Patris*, Col. 1. v. 16. Hebr. 1. v. 3. ac *character hypostasis ejus*, quia Patrem in seipso exactissimè exprimit, quippe cum quo est unius essentialis & cujus voluntatem de salute nostra nobis revelat. Johan. 1. v. 18. Præbet etiam hæc explicatio utilem doctrinam, quod fides sit spiritualis & exactissimè quidam intuitus, quo cordis oculos in Christum unice dirigimus, & sanationem animæ ab ipso consequimur, cujus typus fuit Iuxta ille obtuitus, quo Israëlita serpente anem à Mose exaltatum sive suspensum intuebantur ac sanationem à moribus serpentum consequerebantur, Num. 21. v. 9. Joh. 3. v. 14. 15. Cum enim paulò antè Christus dixisset: *Qui credit in me, credit in eum, qui misit me*, mox *ἐξηννηκόν* subjicit: *Qui videt me, videt eum, qui misit me*, proinde credere in Christum, est, videre Christum, & spiritualibus oculis ipsum intueri. Bernh. ferm. 2. de trib. Magis. *Cognoscite & intuemini, quàm oculata sit fides, quàm lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, si quidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt, iste clavus infixum, hi pannis involutum, id quod opponendum opinionioni Bellarmini, quæ statuit, fidem rectius per ignorantiam, quàm per notitiam definiri lib. 1. de Justificatione. cap. 7. Potest etiam ex his Christi verbis colligi, quo fine in mundum venerit, videlicet ut Patrem nobis revelet, quod ipsum certitudinem doctrinæ, quam tempore ministerii sui in his terris prædicavit, maximopere confirmat, ac proinde*

ad fidem & fidei confessionem omnes invitat. Si enim Filius hoc fine in mundum missus est, ut Patrem nobis revelet, si viso Filio etiam Pater videtur, utique Pater in Filio manens per ipsum nobis loquitur & facit opera, quæ Filius facit, Joh. 14. v. 10. Ut ergo Patrem videt, qui Filium videt, ita quoque Patrem audit, qui Filium audit, quæ est summa doctrinæ à Christo propolitæ commendatio. Omnes prætendunt, si Deus ipse è cælo veniret, animo promptissimo se illi credituros, sicut etiam Philippus dicit, *ostende nobis Patrem & sufficit nobis*, Joh. 14. 8. sed Christus & hoc loco & ibidem in responsione Philippo datâ testatur, eos Patrem ipsum in se videre & audire, qui se vident & audiunt, ut non sit opus ad immediatam Patris visionem & loquelam aspirare. Hæc omnia ostendunt, verba Christi de spirituali visione, quæ fit per fidem, præcipuè & principaliter esse accipiendâ, unde etiam statim addit, v. 46. *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*, ostendens tò videre & credere esse hoc in loco conjuncta, interim tamen secundariò & minùs principaliter etiam de corporali visione hoc intelligi vel certè ad eam applicari potest, quod, qui Filium vident, etiam Patrem videant. Nam 1. visio à fide sive spirituali visione hic distinguitur. *Qui credit in me*, inquit Christus, *non credit in me, sed in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.* Ergo cum sub nomine fidei jam antè actum fuerit de visione spirituali, per visionem intelligenda erit corporalis. Nec satis commodè dici potest, posterius membrum esse *ἐξηννηκόν* prioris, quia aliàs vox propriè in prioris membro usurpata per vocem metaphoricè positam in posteriore membro exponeretur, quod opponi solet iis, qui in dicto Joh. 3. v. 5. vocem *ἀqua ἐξηννηκόν* positam esse statuunt. 2. Joh. 14. 9. ubi eadem sententia repetitur, itidem simul de corporali visione usurpari videtur, quia Philippus Patrem corporeis oculis videndum sibi ostendit petierat, v. 8. cui Christus respondet, *qui videt me, videt Patrem.* 3. Ratio, quæ Christus ibidem probat, eum, qui Filium in divinis videt, etiam Patrem videre, in corporali visione æque ac in spirituali locum habet. Sic enim concludit: *Quarum personarum una est in altera, earum unâ visâ videtur etiam altera. Pater in divinis est in Filio, & Filius in Patre.* Ergo viso Filio videtur Pater. In hoc argumento major est universalis tam de corporali, quàm de spirituali visione efficaciter concludens. 4. Sicut Dionysius, Athanasius, & ex illis Damascenus dicunt, quod *tota Deitas in una sui ipsius ὑποστάσει sese nobis communicâris*; sic pari ratione dicere possumus, quod tota Deitas in una sui ipsius ὑποστάσει sese nobis manifestam & visibilem fecerit. 5. Eodem modo exposuit Irenæus scriptor antiquissimus & temporibus Apostolorum proximus, cuius verba paulò post adducemus. Neque id injuriâ, siquidè mediâtè videlicet mediante visibili humanitate Pater invisibilis in Filio sibi ὁμοσίω conspicitur propter Deitatem τὸ λόγος visibili humanitati personaliter unitam. Congruit etiam phrasis, quia τὸ θεωρεῖν in N. Test. communiter usurpatur de visione corporali, Marth. 27. 55. Marc. 3. 11. &c. ac verbum θεωρεῖν, quod LXX. verterunt per θεωρεῖν, de oculorū non minùs, quam mentis contemplatione usurpatur, quo sensu etiâ hoc loco accipi potest.



Quemadmodum enim qui corpus vivi hominis videt, hominem videre rectè dicitur, quamvis anima, quæ est altera & potissima pars hominis in se ac per se sit invisibilis, cum anima invisibilis corpori visibili vivo & animato sit essentialiter in homine unita: sic, qui Christum videt, Deum rectè videre dicitur, quia visibili humanitati personaliter unita est Deitas τὸ λόγος, quæ cum Patris & Spiritus sancti Deitate est una numero Deitas, inde Thomas Christum post resurrectionem videns & tangens exclamabat, ac dicebat ei: Dominus meus & Deus meus, Joh. 20. v. 28. Irenæus dict. loc. Omnibus revelavit se Pater, omnibus Verbum suum visibile faciens, & rursum Verbum omnibus ostendebat Patrem & Filium, cum ab omnibus videretur, & idè justam judicium Dei super eos, qui similiter quidem viderunt, non autem similiter crediderunt, &c. Et audivit quidem universus populus similiter, non similiter autem omnes crediderunt, & per ipsum Verbum visibilem & palpabilem factum Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter credebant ei, sed omnes viderunt in Filio Patrem. Eò etiam respicit Johannes, quando 1. Epist. 1. v. 1. scribit: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ. v. 2. Et vita manifestata est, & vidimus, docense eos, qui Christum viderunt & contrectaverunt, ipsum Verbum vitæ sive ipsum Dei Filium in carne scilicet manifestatū vidisse & contrectasse, & quia Filius est in Patre, ac Pater in Filio propter quædam & per mutuam πρὸς ἑαυτὸν ἰδέο, qui Filium viderunt, illi etiam Patrem vidisse rectè dici possunt, quippe qui cum Filio est unum, Joh. 10. v. 30. Pari ratione etiam ad claram & beatificam Dei visionem in cælis aliquando expectandam verba Christi accommodari possunt. Beati enim, qui in cælis Christum & glorificatis oculis corporalibus & spiritualibus oculis mentis vident, eo ipso Deum à facie ad faciem vident, 1. Cor. 13. v. 12. vident eum, sicut est, 1. Joh. 3. v. 2. vident faciem ejus, Apoc. 22. v. 4. quia Filius in carne manifestatus est essentialiter cum Patre unum, Joh. 10. v. 30. Filius est in Patre & Pater in Filio, Joh. 14. v. 10. Quod si verbum videndi de beatifica illa visione accipiatur, pulcherrima inde erit doctrina, quod per fidem in Christum aspiremus ad beatificam Dei in cælis visionem, unde postquam dixerat Christus: *Qui credit in me, credit in eum, qui misit me*, statim subjicit: *Et qui videt me, videt eum, qui misit me*. In hac enim vita ambulamus per fidem, in futura autem per speciem, 2. Cor. 5. v. 7. quando scilicet fidei succedet visio ac spei fruitio. Posset etiam per τὸ videre intelligi uberior mysteriorum fidei cognitio, quando scilicet causas & proprietates eorum, quæ simplici fidei obedientiâ propter decentis auctoritatem prius amplexi sumus, in progressu cognoscimus, ut sic τὸ credere ad τὸ ὄρι; τὸ videre ad τὸ διόρι referatur, quo sensu quidam accipiunt dictum Propheticum, Es. 7. v. 9. *Nisi credideritis non intelligetis*, ubi tamen Hebræa paulò aliter habent. Joh. 6. v. 69. *Nos credidimus & cognovimus, quod tu sis Christus Dei viventis Filius*, ubi fides cognitioni præponitur. August. in lib. quæst. Vet. ac N. Test. q. 113. *Primum credi debet, sicut à Propheta dictum est, deinde sciri, quod creditur, quia jam scielem & in hac re diligentem adjuvat Spiritus sanctus, ut cognoscens intelligat fidei rationem, tunc enim plenum habet gaudium credulitatis suæ, si quod credit, intelligat. Hoc est enim**

*fidei robur, hoc immobile fundamentum credulitatis ad discere sacramentum.*

Atq; hoc primum est argumentum, quo Christus auditores suos in hac concione invitat, ut in se credant, & fidem illam profiteri non erubescant, ductum à fidei objecto videlicet à persone suæ qualitate, ex qua certitudo & dignitas illius doctrinæ, quam fidei recipere debeant, simul dependet. Alterum argumentum ducitur à fidei fructu & utilitate. *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Qui in me credit, largissimam ex eo percipiet utilitatem, liberabitur ex tenebris, in quibus naturaliter omnes homines post lapsum hærent, & aspirabit ad veram lucem, quia ego lux in mundum veni. Pulcherrima hæc est illatio Christi: *Ego lux in mundum veni. Ergo qui in me credit, non manet in tenebris.* Quidam verba Christi sic ordinant: *Ego veni in mundum lux, id est, ut sim lux, ac consequenter, ut credens in me non maneat in tenebris.* Sed Christus singulari consilio sic locutus est: *Ego lux in mundum veni.* Sensus enim est: ego cum sim ab æterno lux essentialiter, in temporis plenitudine, per assumptionem humanæ naturæ veni in mundum, ut sim etiam lux effectivè, ut omnis, qui credit in me, lucis spiritualis particeps fiat. Significat igitur, se antequam homo fieret, fuisse lucem ratione divinæ naturæ, ac se esse lucem per essentiam, non per participationem, unde Theophyl. hoc loco id ipsum ad oppositum rectè accommodat. *Iterum & per hoc (inquit) Christus se Patri consubstantialem declarat. Nam quia Pater ubiq; lux dicitur, ea propter etiam de se dicit: Ego lux in mundum veni.* Apostoli Math. 5. 14. & Johannes Baptista Joh. 5. 35. itidem dicuntur lux: sed de illis non potest dici, quod venerint lux in mundum, sed postquam in mundum venerunt, facti sunt deinde lux ratione doctrinæ & officii, quia per prædicationem Evangelii homines ipsorum ministerio fuere illuminati: sed Christi longè sublimiore modo lux est, videlicet non tantum ratione officii, sed etiâ ratione persone, non cepit esse lux in tempore, sed lux est ab æterno, unde notanter de Johanne Baptista dicitur, Joh. 1. v. 8. non erat τὸ φῶς vera illa lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, id est, de Christo, qui est τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, vera illa lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, v. 9. ac Baptista dicitur τὸ ἄλλο φῶς, scandela accensa à substantia illa luce, Johan. 5. v. 35. Ergo maximum est discrimen inter Christum & Apostolos, ut & Johannem Baptistam, nec eodem modo lucis nomen ipsis tribuitur. Christus est lumen αὐτοφωτιστόν, Baptista est lumen ἀλλοφωτιστόν. Christus enim lux est essentialiter, respectu divinæ suæ Naturæ. Deus enim dicitur lux, Dan. 2. v. 22. 1. Joh. 1. v. 5. *& habitare in luce inaccessibili*, 1. Tim. 6. v. 16. *Deus totus est lumen*, ait Irenæus lib. 2. adv. hæres. cap. 16. cum propter puritatem & mundiciem, quid enim luce purius & mundius? tum propter essentiæ simplicitatem, quia lux est qualitas maximè simplex ab omni concretionem libera; tum propter spiritualitatem, quia lux vocatur qualitas spiritualis, cum sit materiæ expers & celerrimè se diffundit, tum propter sublimitatem, nobilitatem ac majestatem, quia lux est nobilissima & splendidissima qualitas, tum propter vim & agendi facultatem, quia lux est magnæ activitatis, omnia penetrat & collustrat, tum propter omniscientiæ claritatem, quia coram luce nihil abscondi-

condi-

conditum, ac lux est nota *ἡρώσεως*: quando enim res cognoscitur vel cognosci facile potest, tum vocatur lucida, tum propter cognitionis profunditatem, quia natura lucis summis etiam Philosophis est incognita; tum propter ubiuitatem, quia lux ubique per totum hœmispærïum radios suos diffundit, &c. quæ omnia ad divinæ essentia attributa accommodari possunt. Jam verò Christus est verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, utiq; ergo respectu divinæ suæ naturæ essentialiter lux vocatur. 2. *ὑποστατικῶς, personaliter, ratione aeternæ à Patre generationis, Hebr. 1. v. 3. Christus est χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως τῆ πατρὸς καὶ ἀπαύρασμα τῆς δόξης.* Sap. 7. v. 26. de sapientia dicitur; quod sit ἀπαύρασμα Θεοῦ ἀδίδυ, quia scilicet ex Patre ante secula natus est, Deus de Deo, lumen de lumine, ut explicat Symbolum Nicenum. Tertull. contra Praxeam, cap. 8. p. 497. *Prolatum dicimus, Filium à Patre, sed non separatim, protulit enim Deus sermonem, sicut radice fruticem & fons fluvium & Sol radium. Nam & istæ species πρὸς ὅλα sunt earum substantiarum, ex quibus procedunt. Nec dubitaverim, Filium dicere & radice fruticem & fons fluvium & Solis radium, quia omnis origo parens est, & omne, quod ex origine profertur, progenies est, multo magis sermo Dei, qui etiam propriè Filii nomen accipit, nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à Sole discernitur, sicut nec à Deo sermo.* Nazianz. orat. 1. de Filio. *Splendor Solis à Sole nascitur, simul cum Sole emergit & lucem Solis ad amissim exprimit: sic filius à Patre genitus est ipsi συνάδιδυ.* Damasc. lib. 1. orth. fid. cap. 9. *λόγος μὲν ἐν καὶ ἀπαύρασμα λέγεται διὰ τὸ ἀνευ συνδυασμῶ καὶ ἀπαδῶς καὶ ἀχρόνως καὶ ἀόρουτος καὶ ἀχωροῖστος γεννηθῆναι ἐκ τῆ πατρὸς.* Dicitur ergo Filius ἀπαύρασμα τῆς δόξης tum respectu originis. Δόξα est lux copiosa & quasi fons fluminis in substantia lucida, Luc. 2. v. 9. ἀπαύρασμα est effluentia, refulentia, resplescentia sive fulgor à luce editus: sic Pater est fons aeterni luminis sive Deitatis, à quo per aeternam generationem Filius Deitatem accepit. Sicut Sol radios ex sua substantia gignit: sic Pater ab aeterno ex sua substantia Filium gennit: tum ratione ordinis. Sicut splendor lucis non ratione temporis, sed ordinis Sole est posterior: sic Filius est à Patre non temporis, sed ordinis respectu; à Patre est, sed non post Patrem: tum respectu inseparabilitatis. Sicut Sol nunquam est vel fuit sine radiis, quia fons ejusdem naturæ cum Sole & ab eo quidem distingvuntur per propagationem, sed non avellantur per realem separationem: sic Pater nunquam est vel fuit sine Filio, quia Filius est Patri ἑμμορῶς, à quo distingvitur quidem per ὑποστάσεων dualitatem, sed non separatur vel divellitur ab eo ob ἑστίας unitatem: tum respectu qualitatis in productione. Sicut lucis splendor à Sole habet suum esse non contingenter, sed necessariò, non desinenter, sed semper, producitur à Sole absque fluxu & decisione: ita quoque in generatione Filii nec contingentia, nec tempus, nec mutatio, nec decisio locum habet: tum deniq; respectu formalitatis. Filius est splendor gloriæ paternæ non accidentaliter, sed substantialiter, quia in persona Filii gloria, majestas, sapientia & potentia Patris resplesdet. 3. *τυπικῶς, figuratīvè,* quia variis typis hæc lux in Vet. Testam. fuit præfigurata. Quemadmodum lux primo die condita, quarto autem die in corpus Solare est redacta, à quo die quarto usque ad Sabbatum adhuc

sunt duo dies, Gen. 1. v. 3. & 16. sic Filius Dei vera lux ab aeterno existens in quarto mundi millenario verus homo factus est, & tota plenitudo Deitatis & lucis aeternæ in assumpto corpore habitare cœpit, à quo millenario quarto usque ad aeterni Sabbati initium duos adhuc millenarios intercedere veteres statuunt. Exod. 13. v. 21. *Dominus præcedebat Israëlitas per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut lumen præberent eis.* Hic dux Israëliti itineris fuit Christus, 1. Cor. 10. 4. qui columnam nubis defensionis & obumbrationis, & columnam ignis illuminationis à se expectanda symbolon esse voluit, Ps. 84. 12. Hic pertinent omnes *ἑορταίαι* V. Test. in quibus Deus per lucem & ignem sese manifestavit, Exod. 32. cap. 19, 18. c. 24, 17. c. 40, 38. Deut. 4, 12. Ezech. 1, 4. & seq. cap. 10, 2. Dan. 7, 9. &c. ad quas respiciens David Psal. 104, 2. dicit: *Deum amicum esse lumine quasi vestimento,* tum quia in lucidissimo cœli globo suam majestatem ostendit, tum quia hominibus se manifestaturus externo lucis Symbolo utitur, eiq; tanquam vestimento cuiusdam se involvit. Cum enim Filius sit secunda Trinitatis persona, ὁ λόγος, per quem ab initio Pater cum hominibus locutus est, quique in forma humana piis in V. Test. sapius apparuit: ideo ab illis *ἑορταίαις* Filius excludi nequit, proinde absurdum non est, statuere, quod Christus sese lucem hoc loco appellans, inter causas reliquas etiam ad apparitiones illas symbolicas in V. Test. respiciat, hoc sensu: Ego, qui tempore V. T. in figura lucis & ignis sapius apparui, per assumptionem carnis veni in hunc mundum, ut illuminarem homines in tenebris sedentes. 4. *νεογενικῶς, effectivè.* Quemadmodum enim lux dispellit tenebras, distingvit noctem à die, excitat à somno, fugat tristitiam, dirigit gressus nostros, oblectat visum, est vehiculum cœlestium virtutum, &c. ita Christus vera illa lux spirituales tenebras pellit, facit filios lucis & dei, 1. Thess. 5. v. 5. excitat à somno peccatorum, Rom. 13, 12. Ephes. 5, 14. fugat tristitiam cordis, & conscientia tranquillitatem restituit, Rom. 5, 1. *Dirigit pedes nostros in via pacis,* Luc. 1, 79. oblectat oculos interioris hominis, & spiritualium ad cœlestium charissimatum autor in nobis existit. Sicut lux & se & alia visibilia manifestat: sic Christus & se & Patrem manifestavit fecit. Cum primis vero ad tenebrarum depulsionem Christus hoc loco respicit, quando se lucem vocat, unde statim subjicit: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, non maneat in tenebris.* Quæ verò sint illæ tenebræ, à quibus per Christum liberamur, paulò post specialius explicabitur. Atque hæc sunt quatuor principalia capita, ad quæ Christus respicit, quando non solum hoc loco, sed etiam alibi sese lucem vocat, Joh. 3, 19. cap. 8, 12. c. 9, 5. c. 12, 35. & 36. quæ appellatione Symbolicâ passim in Scripturis V. & N. Test. honoratur, Ef. 42. v. 7. cap. 49, 6. c. 60. v. 1. (confer Act. 13. v. 47. Apocal. 22. v. 23. ubi vaticinia illa ad Christum accommodantur) Luc. 1, 78. cap. 2, 32. Joh. 1. v. 4. & seqq. Et quia de Messia in V. Test. prædictum, quod sit futurus lux omnium populorum: ideo Christus lucem mundi sese vocans, se esse promissum Messiam ostendit. Porrò de hac luce spirituali & supercœlesti, h. e. de seipso dicit Christus, quod venerit in mundum. Phrasim *venire in hunc mundum,* quando de nudis ac meris hominibus usurpatur, significat idem

idem, quod nasci, Joh. 1. v. 9. sed quando de Christo usurpatur, significat, ipsum fuisse jamdum *ὄφισθησεν*, antequam nascendo in mundum veniret, quia sic venit in mundum, ut in principio fuerit apud Deum, Joh. 1. v. 1. unde dicitur, *de celo descendisse*, Johan. 6. v. 38. *à Patre in mundum missus*, cap. 10. v. 36. c. 17, 18. c. 18, 37. *à Patre exiisse*, Joh. 8, 42. c. 16, 28. ac singulari emphasi Pater dicitur *eum emisisse* vel *ablegasse* *ἐξαπέστειλεν*, Galat. 4, 4. dicitur *semen Abrahæ assumisisse*, Hebr. 2, 26. *venisse in carne*, 1. Joh. 4, 2. *in mundum intravisse*, Hebr. 10, 5. & ipsius incarnatio sive adventus in hunc mundum vocatur *manifestum in carne*, 1. Tim. 3, 16. quæ omnia si conjungantur, nulli hominum præterquam soli Christo competunt, ac manifestè ostendunt, ipsum ante suam in Maria & ex Maria nativitatem secundum divinam naturam existisse. Quemadmodum enim Sol non tunc esse incipit, quando in nostrum hemisphærium ascendit ac nobis oritur: sic Christus non cœpit esse persona, quando per suam ex virgine nativitatem in mundum venit, sed antequam homo fieret & in mundum veniret, jamdum existit. Ideo etiam Christus dicit, *se lucem venisse in mundum*, ut ostendat, se venisse, non ut hanc aut illam gentem vel aliquos absoluto decreto electos, sed ut mundum, h. e. omnes homines illuminaret, sicut notanter dicitur, Joh. 1, 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quia scilicet paratus est omnes illuminare, ut Chrysost. in comm. rectè explicat, unde etiam *se lucem mundi* vocat, Johan. 8, 12. Quemadmodum lux omnibus communis & sine discrimine bonis ac malis lucet, Matth. 5, v. 46. ita saluifera Dei gratia in Christo justitiæ Sole fulgorem suum ad omnes homines sine distinctione diffundit, unde statim additur, *ut omnis, qui credit in eum, non maneat in tenebris*. Phrasis hæc est Hebræa, cujus sensus est, ut nullus credens in eum, maneat in tenebris. Similia exempla occurrunt, Gen. 4, 15. c. 39, 23. Ps. 143, 2. Matth. 24, 22. Rô. 3, 20. 1. Joh. 3, 6. & 25. &c. Testatur igitur Christus hac particulâ universali, se esse lumen *καθολικόν* non Judæorum solum, sed etiam gentium, Esa. 49, v. 6. ac beneficia sua offerri omnibus hominibus, cujuscumque sint ætatis, conditionis ac status, Judæis & Græcis; quantum in se est, se velle & quidem serio velle omnes illuminare, quod autem aliqui non illuminantur, hoc inde esse, quod se ab influentia luminis subtrahant, ut Tyrannus in capite 1. Joh. annotat. Neque enim absolute & simpliciter dicit, se lucem in mundum venisse, ut omnes illuminentur & à tenebris liberentur, quicquid tandem agant: sed *ut omnis, qui credit in eum, non maneat in tenebris*. Fides enim est unicum illud medium, per quod à connatis ignorantia & peccatorum tenebris liberamur, & in regnum gratiæ ac lucis transferimur. Dicitur quidem 1. Joh. 2, 20. *Qui diligit fratrem suum, manet in lumine*, sed ibi non est descriptio *medii*, per quod à tenebris in lucem transferimur, sed *subjecti* sive personæ, quæ in lucem est translata & effecti, quod ex fide oritur. Qui enim in Christum credit, is fidem per dilectionem exerit, atque ex hoc signo & effecto fidei, videlicet ex dilectione, scire sive cognoscere potest, se esse *translatum ex morte in vitam*, ex tenebris in lucem, 1. Joh. 3, v. 14. interim sola fides est illud medium, per quod à spiritibus tenebris liberamur, quia ipsa sola apprehendit Christum veram

illam lucem, & beneficia ejus sibi applicat. Fides autem illa non est nuda Historica cognitio, multò minùs vana opinio & inanis persuasio, sed fiducialis Christi apprehensio, quâ in Christum fiduciam cordis collocamus, meritum ejus amplectimur ac certò credimus, propter ipsum gratiam Dei, peccatorum remissionem & salutem æternam nobis obtingere, quâ fide *cor purificatur*, Actor. 15, v. 9. ut fructus bonorum operum postmodum proferat, unde per imitationem Christi & ambulationem in luce describitur, Johan. 8, 12. *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris*, 1. Joh. 1, 7. *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem*. Intelligitur etiam fides non *περὶ καινῆς* & temporaria, sed finaliter perseverans, Matth. 24, v. 13. &c. Quisquis ergo hoc modo in Christum credit, is non manet in tenebris, ubi diligenter notandum, Christum non loqui hoc modo, *ut omnis, qui credit in me, non ruat in tenebras, sed non maneat in tenebris*. Significat igitur, omnes homines ac totum genus humanum tenebris esse immersum, leque in suo in mundum adventu omnes in tenebris invenisse, sicut de Ephesiis nondum ad Christum conversis Apostolus dicit, Ephes. 5, v. 8. *Erat quondam tenebra, nunc autem lux in Domino*. Quemadmodum enim ante Solis adventum & exortum omnia sunt tenebris & caligini immersa, ita ante Christi Solis illius justitiæ, Mal. 4, 2. *Ἐ Orientis ex alto*, Luc. 1, v. 78. in hunc mundum adventum nil nisi tenebræ in mundo fuerunt, ipse verò est unicus Sol, unica lux mundi, tenebras illas fulgore suo discutens, Esa. 9, 1. cap. 49, 6. &c. Quæ verò sunt illæ tenebræ, in quibus omnes homines nascuntur, & à quibus non nisi per Christum fide apprehensum liberari possunt? Illud non potest rectius intelligi vel explicari, quam si observetur, quid per spirituales & mysticas tenebras, eisque oppositam lucem Spiritus S. in Scripturis intelligat. Tenebrarum autem nomine intelligitur primò ignorantia ac cæcitas, carentia divinæ cognitionis, Esa. 9, 1. cap. 60, 1. Matth. 4, v. 16. Luc. 1, 79. Act. 26, 18. &c. quibus opponitur lux salutaris *θεογνωσία*, Es. 8, 20. Zach. 14, 7. in primis hominibus ad imaginem Dei conditis ante lapsum fulgebat lux divinæ sapientiæ & salutaris Dei cognitionis: sed per peccatum lux illa penitus est extincta, unde omnes ipsorum posteri nascuntur in tenebris ignorantia & cæcitatibus. Cum hisce tenebris ignorantia conjunctæ sunt tenebræ errorum, superstitionum, falsæ doctrinæ &c. Quemadmodum enim qui in tenebris ambulat, miserè offendunt: sic homines luce cognitionis veræ & salvificæ destituti ruunt in varios errores, excogitant falsos cultus & pro veritate mendacia amplectuntur. Secundò per tenebras intelliguntur tenebræ peccatorum, quæ propterea dicuntur *operti tenebrarum*, Rom. 13, 12. Eph. 5, 11. 1. Johan. 1, 6. &c. quibus opponitur lux justitiæ & sanctitatis, Matth. 5, 16. 2. Cor. 6, 14. cujus ratione pii dicuntur *filij lucis*, Luc. 16, 8. Joh. 12, 36. Ephes. 5, 6. 1. Thessal. 5, v. 5. Tertio per tenebras intelligitur Dei ira, & ex ea orta omnes pænæ, calamitates & miseriæ, quæ de ira Dei adversus peccatum testantur, Job. 30, 26. Psal. 35, 6. Esa. 5, v. 30. Ezech. 32, v. 8. Joël. 2, vers. 2. &c. quibus opponitur lux divini favoris & gratiæ, Num. 6, 25. Ps. 43, 7. Mich. 7, v. 8. Quartò per tenebras intelliguntur

errores & angores conscientie, tristitia, &c. Esa. 21, 4. quibus opponitur lux consolationis, latitiæ & bonæ conscientie, Esth. 8, 16. Job. 29, 34. Pl. 97, 11. Esa. 58, 10. Quinto per tenebras intelligitur potestas Satanae, qui est princeps tenebrarum, Luc. 22, 53. Eph. 6, 12. Col. 1, v. 13. cui opponitur regnum lucis in quod liberati è potestate & regno Satanae transferuntur. Sextò per tenebras intelligitur mors & damnatio aeterna, Matth. 8, 12. cap. 22, 15. c. 25. v. 30. 2. Petr. 2, 17. Jud. 1, v. 13. cui opponitur lux vitæ & salutis aeternæ, Col. 1, 12. Apoc. 21, v. 23. cujus participes sunt Angeli sancti, qui propterea vocantur Angeli lucis, 2. Cor. 11, 14. ubi tamen notandum hasce tenebrarum significationes in uno eodemque Scripturæ dicto sæpius conjungi, cum ex tenebris ignorantia & peccatorum reliquæ tenebræ oriuntur. Ab omnibus hisce tenebris Christus vera illa lux nos liberavit, ac liberationis hujus per fidem nos participes facit. Contra tenebras ignorantia & cæcitatibus illuminat nos per lucem Verbi, quæ connatas mentis nostræ tenebras discutit, ab errorum labyrinthis nos liberat, viam salutis nobis monstrat, & ad Patris cælestis cognitionem nos deducit, 2. Cor. 4, v. 6. Deus, qui iussit ex tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis claritatis Dei in facie Jesu Christi. Sicut in prima creatione potentissimo suo Verbo Deus ex tenebris lucem produxit: sic Verbi sui luce spirituales ignorantia & cæcitatibus nostræ tenebras dispellit, Psal. 119, 105. Prov. 6, 23. Esa. 8, 20. Matth. 5, 14. 2. Pet. 1, 19. A tenebris peccatorum liberat nos imputatione suæ justitiæ, remissione peccatorum, donatione Spiritus sancti, qui novus motus in cordibus nostris accendit, ut in justitia Deo servire incipiamus. A tenebris iræ divinæ liberat nos reconciliatione cum Deo, adoptione in filios Dei, ut non amplius sumus filii iræ, sed gratiæ, Eph. 2, v. 3. ac diligamur in ipso tanquam unice dilecti, Eph. 1, v. 6. A tenebris angorum & terrorum liberat nos vivifica verbi & Spiritus consolatione, chirurgi, quod nobis adversum, deletionem, Col. 2, v. 14. conscientia nostræ tranquillationem, Rom. 5, v. 1. Eph. 2, v. 14. A tenebris Satanicæ potestatis liberat nos capitis serpentini conculcatione, Gen. 3, v. 15. translatione in regnum gratiæ, potentissima defensione adversus omnes Satanae insidias & impetus, Col. 1, v. 13. &c. A tenebris damnationis & mortis liberat nos salutis amissæ reparatione & vitæ aeternæ donatione, Joh. 3, v. 16. Coloss. 1, v. 12. 2. Tim. 1, v. 10. 1. Joh. 5, v. 11. Hæ sunt illæ tenebræ à quibus per & propter Christum liberamur, quisquis in eum credit, non manet in illis tenebris, sed spiritualis ac cælestis lucis fit participes. Quod si ergò 1. cupimus à connatis ignorantia, peccatorum, iræ divinæ & mortis aeternæ tenebris liberari, fide ad Christum confugiamus, accedamus ad hanc lucem ut ab ea salutariter illuminemur. Omnes naturaliter à tenebris corporalibus abhorremus, quippe quæ prohibent, quo vè minus pede in offenso in via progrediamur, quæ variis periculis nos exponunt atque ambulantes in eis ad præcipitia ducunt, quanto magis à spiritualibus tenebris abhorrere, easque odisse debemus, quippe quæ longe majoribus periculis nos obiciunt, & ad aeternam damnationis barathrum tandem deducunt. 2. Extra Christum nil nisi caligo & te-

Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

nebræ, sicut extra Solem nulla lux est, ex quo facile apparet, quid de opinione eorum, qui gentilibus salutari Dei & Christi cognitione destitutis salutem tribuunt, judicandum sit. In Ægypto palpabiles erant tenebræ, sed in terra Gosen, quam Israëlita populus Dei inhabitabant, lux erat, Exod. 10, v. 23. sic extra Ecclesiam tenebræ operiunt terram, Esa. 60, 1. sed in Ecclesia, in qua doctrina de Christo sonat, lux spiritualis unice reperitur. Augult. in Psal. 47. Extra illam civitatem qui est, nec audit, nec videt: In illa qui est, nec surdus, nec cæcus est. 3. Fides est spiritualis lux animæ: Qui credit in Christum, videt lucem; qui lucem videt, non manet in tenebris. 4. Christus paratus & promptus est omnes illuminare, omnes à tenebris liberare, quod aliqui non illuminantur eorum rei culpa in ipsis residet, quia tenebras magis amant, quam lucem, Joh. 3, v. 19. Iren. lib. 4. cap. 76. Lumen non deficit propter eos, qui semetipsos excæcaverunt, sed illo perseverante, quale & est, excæcati qui suam culpam in caligine constituunt, &c. Qui fugerunt lucem, iuste inhabitabunt tenebras. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine, qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant, ita ut ipsi sibi causa fiant, quod destituntur à lumine, & inhabitant tenebras, & non lumen est causa hujusmodi conversationis: sic æternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi causa sunt, ut æternas inhabitent tenebras, &c. 5. Sicut fructus & consequens fidei est spiritualis illuminatio, liberatio à tenebris mortis & damnationis, Joh. 3, v. 18. sic incredulitas fructus & consequens est æterna cæcitas, abjectio in tenebras exteriores. Qui credit, non manet in tenebris. Qui non credit, manet in tenebris & sub iræ divinæ pondere, Joh. 3, v. 36. quo deprimitur usque in infernum. 6. In tenebris aliquando fuisse non est causa damnationis, sed in tenebris manere, nolle oblatam lucem amplecti, & à tenebris liberari, tenebras magis amare, quam lucem &c. hæc sunt, quæ in aeternam mortis tenebras hominem præcipitant.

Tertium argumentum, quo auditores ad fidem Christus invitat, ducitur ab incredulitatis damnositate sive à iudicio, quod incredulos manet, gravitate. In secundo argumento docuit, quantum bonum sit fides, utpote per quam à tenebris peccati, mortis & damnationis liberemur; in hoc tertio argumento ostendit, quantum malum sit incredulitas, utpote per quam homines in iudicium incidant, quod iram Dei & æternam damnationem complectitur. In præcedente membro ostendit, unde salvifica illa fides, ad quam auditores hortatur, originem ducat, videlicet à sua benignitate & efficacità, quippe qui in mundum venerit vera lux, hoc est, ut per prædicationem Evangelii & operationem Spiritus sancti corda hominum illuminaret; in hoc tertio membro decet, unde oriatur iusta quorundam damnatio, videlicet ex incredulitate & contemtu verbi divini, quo ipso significat iusto Dei iudicio in tenebris eos manere, qui oblatam lucem amplecti ac sequi reculant. Et si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim veni, ut iudicarem mundum, sed ut servarem mundum. Qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui iudicet eum; sermo quem locutus sum, iudicabit eum in extremo die. Particula & ostendit connexionem cum proxime præcedente argumento. Ut enim per fidei utilitatē hæc tenus expositam credentes in se ad fidei

Y 4

constan-

constantiam & publicam ejus confessionem excitare voluit : ita ex opposito incredulos iudicii comminatione ab incredulitate deterere & revocare conatur : *Si quis audierit verba mea, & non crediderit, habet, qui iudicet eum.* Vulgata versio videtur legisse *καὶ μὴ τηρήσῃ*, vertit enim & non custodierit, quo modo etiam Syrus reddidit, utitur enim verbo, *ῥῶσ*, custodivit, servavit, Matth. 7. v. 24. conjunguntur *ἀκούειν καὶ ποιεῖν τὰς λόγους*, Luc. 8. v. 15. *ἀκούειν καὶ κατέχευεν τὸν λόγον*, Joh. 14. v. 21. *ἐχέειν καὶ τηρεῖν τὰς ἐντολάς*, inde aliquis suspicatus est, pro crediderit legendum esse *custodierit*, unde etiam in quibusdam Græcis exemplaribus *πισέωσῃ* mutatum est in *φυλάξῃ*. Quamvis verò res eodem redeat, sive legatur *crediderit*, sive *custodierit*, cum nemo servet & custodiat verba Christi, nisi prius fide ea amplectatur, ac vicissim nemo verè & salutariter credat, nisi etiam verba Christi custodiat, unde verè credentes sic describuntur, quod *audiant Verbum, illudque intelligant, suscipiant, retineant & fructum ferant*, Matth. 13. v. 23. Marc. 4. v. 20. Luc. 8. v. 15. quod *servent sermonem Christi*, Joh. 8. v. 51. c. 14. 23. quod *servent & faciant*, h. e. operè complere studeant, quæ Christus præcepit, Matth. 28. v. 20. Joh. 15. v. 14. tamen præcedentibus magis congruit, si legatur *πισέωσῃ*, quo modo antiquissima & probatissima exemplaria legunt. Ut enim in præcedente membro de salutari & unico illo medio, per quod à tenebris liberamur, Christus egit; ita hic propriam, immediatam & adæquatam damnationis causam *ἀπίστεως* exprimit, quæ est incredulitas, quâ positâ ponitur damnatio, quia per incredulitatem sufficientissima Christi satisfactio pro peccatis præstita repudiatur, Joh. 3. v. 18. & 36. c. 16. 9. interim non negatur, incredulitatem per omnis generis peccata se exerere, sicut fides bonorum operum fructus producit. Quod Christus *τὸ ἀντιλεγεῖν τὸ ἀκούειν τὸ ἔχειν* conjungit, ex eo quidam colligunt ad eos, qui non audiunt verba Christi, non pertinere hanc damnatoriam sententiam, si vel maximè in Christum non credant. Distingunt igitur inter incredulitatem *κατὰ δόξαν* sive *pure negationis*, quæ competit etiam illis, qui sunt extra Ecclesiam & non audierunt verba Christi; & inter incredulitatem, *κατὰ δόξαν* sive *prædispositionis*, quæ non competit nisi illis, qui sunt in externa Ecclesiæ societate & verba Christi audierunt. Et sane gravius illi peccant ac proinde etiam gravius punientur, qui verba Christi audierunt, nec tamen illis fidem habuerunt, ut in Christum crederent; interim nec illi absque peccato sunt, & à pœnis prorsus immunes, qui fide in Christum destituti, quamvis verbum ejus non audierint eo modo & eâ claritate, quâ in Ecclesia prædicatur, Luc. 12. 47. *Servus ille, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non preparavit se, nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* v. 48. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quod ergo Christus dicit, *Si quis audierit verba mea, & non crediderit, habet, qui iudicet eum, non est accipiendum exclusivè, quasi non sit in iudicium venturus, qui non audierit verbum, licet manserit incredulus, sed comparatè, quod gravius iudicium propterea accepturus sit, quod audierit auribus tantum exterius, & tamen corde non crediderit*, Matth. 11. v. 21. c. 23. v. 14. Marc. 12. 40. Luc. 20. 47. &c. Universalia enim sunt pronuntiata illa: *Qui non crediderit,*

condemnabitur, Marc. 16. *Qui non credit, jam iudicatus est*, Joh. 3. 18. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.* v. 36. ac considerandum est immotum horum pronuntiatorum fundamentum. Omnes Adæ posterii post lapsum nascuntur in peccatis, ac proinde obnoxii sunt iræ Dei & aternæ damnationis, adeoque ut Christus in præcedentibus verbis testatur, sedent in tenebris, à quibus nemo liberatur, nisi qui in Christum credit. Quid quod suo loco ostendimus, gentiles extra Ecclesiam non simpliciter & absolute ab auditu verborum Christi excludi, sed superesse illis media, quibus ad Ecclesiam & consequenter ad auditum verborum Christi pateat aditus, quæ cum proterve & pertinaciter contemnunt, ideò sunt inexcusabiles, sed hac de re alibi pluribus fuit actum. Nec hoc præmittendum, quod Christus hic loquatur in plurali, *si quis audierit verba mea, & non crediderit*, cum alibi loquatur in singulari, *Qui sermonem meum custodierit*, Joh. 8. 51. c. 14. 23. eo ipso enim ostendit, fidem esse unam copulativam nec debere nefariam institui verborum Christi divulsionem, quâ velimus aliquibus duntaxat verbis Christi fidem habere, reliquis vero eam derogare sed totum systema doctrinæ Christi inviolatum retinendum & verâ fide amplectendum esse. In verbis sive doctrina Christi continentur quædam *credenda*, quædam *facienda*, utraq; sunt studiose servanda, illa quidem fideli corde, hæc verò prompto opere. Quæ sequuntur, ea quasi per parenthesis quandam interjecta, occupationem continent: *Ego non iudico eum, sed ut servarem mundum*; non tamen propterea is, qui *rejecit me, nec accipit verba mea*, sibi pervadeat, se non habiturum iudicem, quia *sermo ipse, quem locutus sum, iudicabit eum in extremo die*. *Non enim veni, ut iudicarem mundum, sed ut servarem mundum*, quibus verbis etiam in concione coram Nicodemò utitur, Joh. 3. v. 17. Sensus igitur est: in hoc primo meo adventu & in hoc statu exinanitionis non veni, ut iudicarem mundum, sed in secundo meo adventu & in statu exaltationis *iudicabo vivos & mortuos*, Act. 10. v. 42. c. 17. v. 31. Rom. 2. v. 16. unde etiam non dicit in futuro, *& non iudicabo eum, sed in præsentibus & non iudico illum*, scil. in hoc præsentis statu: *Non enim veni, ut iudicarem, sed ut servarem mundum*, tum manifestando consilium Patris mei cœlestis de salute humani generis per prædicationem Evangelii, tum perficiendo opus redemptionis per passionem & mortem, utrumque enim pertinet ad mundum missus, utrumque ad salutem generis humani fuit necessarium. Occurrunt autem circa hæc Christi verba aliquot dubia non contemnenda. Quaritur enim 1. *Quare Christus hic dicat, ego non iudico eum, qui non credit in me, cum tamen Pater omnino iudicium ei dederit*, Joh. 5. v. 22. *cumque sermoni suo tribuat, quod iudicet incredulos?* jam verò, quod sermoni Christi competit, illud etiam Christo rectè tribuitur, cum inde atq; ideò sermo Christi incredulos iudicet, quia est Christi iudicis omnium divinitus constituti sermo? Neque satisfactio huic dubio distinctio inter primum & secundum Christi adventum, inter statum præsentem & futurum, quia

quia Christus in presenti statim subjicit, *ἔχει τὸν κριτῆρα αὐτοῦ*, ubi si per *τὸν κριτῆρα* intelligatur sermo Christi, ut omnino intelligendum esse sententiam manifeste ostendunt, non potest negari, Christum etiam in presenti statu certo modo incredulos judicare, quoniam Joh. 3. v. 18. expresse dicitur, *eum, qui non credit, jam judicatum esse*, à qua iudiciaria actione Christus non potest excludi? Resp. Theophylactus recte monet, Christum propterea sic loqui, *ut ostendat, se non esse incredulis autorem condemnationis, cum non ad hoc primum venerit, tamen ex consequenti hoc eveniat*. Declarat hoc similitudine quadam. Quemadmodum enim nos saepe dicere consuevimus, quando puerum incompositum verberaturi sumus, quod non nos verberemus eum, sed ejus negligentia & dissolutio, quodque non nos condemnemus eum, sed admonitiones nostras, quibus non paruit, illas arguere eum, ut inobedientem: sic etiam Christus hoc loco dicit: *Non ego judico eum, sed sermo, quem locutus sum, ille condemnat*. Transfert igitur Christus iudicii actionem, h. e. condemnationem incredulorum à se ad suum sermonem, sicut Joh. 5. v. 45. accusationem Judaeorum à se ad Moysen transfert, non ut simpliciter & absolute partes iudiciarias sibi derogat, sed primo ut ostendat, se non esse illis, qui propria culpa pereunt, condemnationis autorem. Verbum enim *κρίνω* hic proprie non significat personam iudicis sustinere, sed materiam iudicandi & damnandi præbere, quod modo sermo auditus & fide non receptus iudicat, quia accidentariam iudicii occasionem subministrat. Secundo ut doceat, se non proponere doctrinam humanam arbitrio excogitatum, sed quam acceperit à Patre caelesti, quaeque contineat immotam & invariabilem Dei sententiam de damnandis omnibus, qui fide eam amplecti noluerint, quod si ergo ob contentum hujus doctrinae incredulitatem quidam iudicantur, id non tam sibi, quam doctrinae à caelesti Patre sibi traditae esse, tribuendum, imo potius ipsis hominibus doctrinam illam proterve contemnentibus, sicut iudex facinoroso dicere possit: *Ego te non punio, sed lex à superiore Magistratu mihi tradita, quam voluntarie violasti*. Tertio, ut omnem propriae ultionis suspicionem à se removeat. Potuisset aequè sibi condemnationem incredulorum tribuere ac suo sermoni; interim maluit suo potius sermoni eam tribuere, quam sibi in statu exinanitionis adhuc constituto, ne videretur, vel suam gloriam vel propriam vindictam ob sui contentum susceptam quaerere, sicut etiam Joh. 8. v. 50. dicit: *Ego non quero gloriam meam, est, qui querat & iudicet*. Sensus igitur est: *Si quis audierit verba mea, & non crediderit, ego non iudico eum*, h. e. quatenus homo & in presenti statu more Regum terrenorum eum nequaquam condemno, & mei verborumque meorum contentum vindico, neque tamen talis contentor iudicii effugiet, &c. Quæritur 2. *Cur Christus hoc loco dicat se non venisse, ut iudicaret mundum, cum tamen Joh. 9. v. 39. dixerit dicat, ego in iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, h. e. se videre putant, cæcificent?* Simon de Cassia respondet, ibi sermonem esse de iudicio discretionis inter bonos & malos: hic verò de iudicio retributionis. Iudicium discretionis fit interventus certarum notarum, quibus verè pii ab hypocritis, & electi à reprobis etiam in hoc seculo discernun-

tur, quod in hac etiam vita locum habet. Iudicat Christus per Evangelium occultam cordis cœcitatē in lucem proferendo ac detegendo, quemadmodum ad Solis ortum manifesta fit cœcitas, quæ noctu non poterat observari, sed iudicium retributionis, quo Deus singularis secundum opera reddit, sequetur demum in die novissimo. Distingvendum etiam inter finem proprium & consequens accidentarium primi adventus. Finis proprius & à Deo intentus primi adventus Christi est, ut homines illuminentur & salventur; sed finis accidentalis & consequens secundarium est hypocritarum & impiorum oblatam gratiam & lucem repudiantium major excecatio & iusta damnatio. Hoc enim est iustum Dei iudicium, quod illi, qui non vident, h. e. qui cœcitatē suam connatam agnoscunt & deplorant, seq; à Deo illuminari desiderant, Christi beneficio videant, h. e. per Verbum Evangelii efficitur Spiritus S. illuminentur ac ad salutarem *θεογνωσίαν* & vitam æternam perveniant; qui vero vident, h. e. qui ex hypocrisis & propriae iustitiæ ac perfectionis opinione turgidi falso sibi persuadent, se videre, se jam dum verà Dei notitiā præditos esse, ac propterea Christum mentis illuminationem promittentem & offerentem alto supercilio contemnunt ac repudiant, *cæcificant*, h. e. prædicatione Evangelii offendantur, & magis excecantur, sicut noctu ad clarissimum Solis iubar excutiunt, 2. Cor. 4. v. 4. Quæritur 3. *Quo sensu Christus hoc loco dicat, se venisse, ut mundum servaret, cum tamen populum duntaxat suum servare dicatur ab Angelo, Matth. 1. v. 21.* Resp. Calviniani statuunt, vocem mundi hoc loco *σὸν οἶκον* accipi pro electis, sed non potest proferri evidens Scripturæ locus, in quo talis significatio necessario sit agnoscenda. Distingvendum igitur inter salutis acquisitionem & applicationem. Christus in opere universalis redemptionis toti mundo, h. e. omnibus hominibus salutem acquisivit, eamque in Verbo Evangelii omnibus offert: sed quia non omnes salutem oblatam fide amplectuntur, inde propria ipsorum culpa applicatio fit particularis. Quæritur 4. *Quare Christus hoc loco dicat, se non venisse sive missum esse, ut mundum iudicaret, sed ut mundum servaret, cum tamen Luc. 2. v. 34. dicatur positus in ruinam & in resurrectionem multorum?* Resp. distinguendum inter voluntatem Dei antecedentem sive misericordiam, & consequentem sive iustitiæ. Voluntate Dei antecedente Christus verus ille lapis angularis *ῥῆθμι* positus est vel jacet omnibus in resurrectionem, h. e. ut demersi in luto peccati & mortis ei innitantur, eumque apprehendentes resurgant, & coram Dei tribunali sese erigant. Sed quia multi sibi videntur stare vel contra Christum sese extollunt, ac proinde hunc lapidem ad *ἑγῶσθω* apprehendere nolunt, inde iudiciaria Dei voluntate illis hic lapis positus est in ruinam, ut profundius & gravius prolabantur, Matth. 21. v. 44. 1. Pet. 2. v. 3. Quando igitur Christus hoc loco dicit, se non venisse, ut iudicaret, sed ut servaret mundum, de proprio & genuino suo officio loquitur, quod est salvare, Luc. 9. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, quod ob contentum Evangelii gravius damnantur increduli, accidentale est, cuius causa nec Christo nec Evangelio, sed ipsis hominibus tribuenda.

Sequitur jam posterior pars occupationis: *Qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui iudicet eum.*

eum. Sermo quem locutus sum, iudicabit eum in extremo die, h. e. Ego quidem non iudico eum, qui in me non credit, interim tamen non est, quod sibi talis homo persuadeat, se non habiturum iudicem, sermo meus ipsum iudicabit, ὁ ἀδελφὸν qui spernit me. Cyprianus in allegatione huius dicti vertit, qui rejicit me. ἀδελφὸν significat utrumque, videlicet repudiare, rejicere, Galat. 2. v. 21. & spernere, Luc. 7. v. 30. c. 10, 16. Gal. 3, 15. 1. Theff. 4, 8. Judæ v. 8. quod enim spernitur, illud etiam rejicitur ac repudiatur. Hefychius ἀδελφὸν exponit ἀτιμάζω δὲ ἰνὴν ἀλλ' ἑταί, & passivum ἀδελφὸν reddit per καταφρονεῖται. Syrus habet verbum ܡܠܘܢ, rejicit. Contemptus ille tūm de persona, tūm de doctrina Christi intelligend⁹, utroq; enim modo Christus contemnitur & rejicitur. Qui contemnit personam Christi, is non recipit ejus doctrinam, & vicissim, qui respuit ejus doctrinam, is etiam personam ejus contemnit. Quid enim sit Christum rejicere & spernere, statim explicatur, videlicet non accipere verba Christi, non acceptare doctrinam Evangelii, nolle eam fide amplecti &c. inde opponitur τὸ ἀκούει, Luc. 10, 16. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Qui Verbum Evangelii rejiciunt, nolunt videri, se Christum ipsum spernere: sed hic extat diserta ipsius Christi explicatio, quod Christum rejiciat, qui verba ejus non accipit, qui verò Christum rejicit ac spernit, is etiam spernit eum, qui misit Christum, ut apud Lucam expresse additur: proinde non est, quod de veri Dei cognitione vel gratia talis verborum Christi contemtor gloriatur. Qui enim non honorat Filium, is nec Patrem honorat, Joh. 5. v. 23. qui non agnoscit, Christum esse à Deo missum, esse promissum Messiam, verum Dei Filium & mundi Salvatorem, is etiam non potest Patrem honorare, quippe à quo Christus in mundum missus. Qui rejicit me, nec accipit verba mea verà fide, nam τὸ λαμβάνειν hic non de exteriori auditu, sed de acceptione cordis intelligendum; ἐχθρὸν τὸν κρινόντα αὐτόν. Per τὸν κρινόντα quidam intelligunt Patrem cœlestem, à quo Christus immundum missus, & qui juxta sermonem Christi aliquando iudicabit, quemadmodum Rex mittens Legatum ad subditos suos, iudicat secundum sermonem, quem Legatus ipsius nomine proposuit. Posset hæc explicatio probari ex eo, quod Christus, Joh. 8. v. 50. dicit: Ego non quero gloriam meam, est, qui quærit & iudicet, ubi itidem habetur vocabulum κρίνων, ac quod Luc. 10. v. 16. dicit: Qui spernit me, spernit eum, qui misit me, qui proinde hunc sui contemptum non patietur inultum. Sensus igitur foret: Ego quidem, mei & verborum meorum contemtorum non iudico, nihilo tamen minus ejusmodi contemtor habet suum iudicem. Pater enim meus, à quo missus sum, & in quem hic contemptus redundat, iudicat eum tum in hoc, tum in futuro seculo. Sed ex sequentibus manifestè elucet, per τὸν κρινόντα Christum hic intelligere sermonem suum. Immediatè enim subjungit: Sermo, quem locutus sum, iudicabit eum in die novissimo. Per τὸν λόγον quidam ex veteribus intelligunt Verbum εἰσιώδες ἢ ἱστορικὸν ipsam scil. Dei Filium, quem constat, sæpius vocari λόγον, Joh. 1. v. 1. 1. Joh. 1. v. 1. &c. cum addatur articulus ὁ. Cyrillus lib. 8. in Joh. cap. 24. Satis manifestavit Christus his verbis, seipsum in die novissimo incredulos & sui contemtores iudicaturum &c. Seipsum

quippe Christus locutus est, seipsum mundo annunciat, ut verbum quod se & alia explicat, ut lux, quæ seipsum inprimis & alia manifestat, quod desumptum ex August. tract. 54. in Joh. Idem August. lib. 1. de Trin. cap. 12. Si non iudicat Filius, sed verbum, quod locutus est Filius, idè autem iudicat verbum, quod locutus est Filius, quia non ex se locutus est Filius, sed qui misit eum Pater mandatū dedit ei quid dicat & quid loquatur, Pater uti. que iudicat, cuius verbum est, quod locutus est Filius, atque ipsum verbum Patris idem est Filius ipse &c. Si verbum Patris loquitur, seipsum loquitur, quia ipse est Verbum Patris. Et postea: Ego non iudicabo ex potestate humana, quia filius hominis sum, sed ego iudicabo ex potestate verbi, quia Filius Dei sum. Sed Athanasius orat. 5. contra Arianos tom. 1. p. 312. de λόγῳ θεοφορικῷ sive κηρυγματικῷ rectius exponit, disertè enim Christus addit ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα. Syrus emphaticè reddidit מללתי בלתי, loquela, quam locutus sum. Unde apud Cyrillum d. l. rectè additur: Quod si quis sermonem Christi intelligere velit, verba, quæ Christus ad populum or edicans prolatit, neq; hic sensus à proposito alienus erit. Quemadmodum enim lex civilis dicitur iudicare latronem, quia ostendit, eum iudicio & capitali supplicio dignum; ita quoque opera Christi & præcepta suis ipsius verbis explicata iudicabunt infideles, quia aperte prodent, eos aeternā condemnatione dignos esse. Ne quis enim hoc intelligeret de verbis Christi in iudicio demum proferendis: Itē maledicti in ignem aeterni, Matth. 25. v. 41. ideo Christus dicit, Sermo, quem locutus sum, non autem sermo, quem locutus fuero. Quamvis verò ab his iudicandi partibus, Christus non possit simpliciter excludi, cum quod sermoni Christi tribuitur, etiam Christo certā ratione competat, cumq; omne iudicium Pater ei dederit, Johan. 5. v. 22. ipsumque iudicem vivorum & mortuorum in die novissimo constituerit, Act. 10. v. 42. cap. 17, 31. tamen ob certas quasdam causas paulò antè expositas Christus has iudicandi partes à se ad sermonem suum hoc loco transfert. De hoc sermone suo pronunciat, quod & iudicet in presenti videlicet in hoc seculo coram Deo, qui enim non credit, iam iudicatus est, Joh. 3, 18. & iudicaturus sit in futuro videlicet in die novissimo, coram Angelis & hominibus, quia tunc omnibus publice manifestum fiet, justam esse incredulorum condemnationem, propterea quod sermonem Christi recipere noluerint. Emphasis enim est in verbis, quem locutus sum, innuit enim, hanc fore immediatam & adæquatam condemnationis causam, quod verbum & in verbo oblatam gratiam amplecti noluerint, Joh. 15. v. 22. Si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Quomodo verò incredulos iudicat sermo Christi, cum hic iudex non videatur, nec audiatur ab omnibus &c. Cajetanus statuit, sermonem Christi sive doctrinam Evangelicam eo modo dici infideles iudicaturam, quo lex dicitur aliquem iudicare & condemnare, quem vim habens obligandi, penam transgressoribus constituit. Statuit igitur sermonem Christi iudicare sive condemnare per modum obligationis ad condemnationem. Alii statuunt, sermonem Christi iudicare per modum testis & accusationis, ut sit sensus: Quia sermonem quem à me audierunt, tamen fide recipere noluerunt, ideo sermo ille velut testis quidam adversus eos stabit, clamabitq; eos aeternis suppliciiis esse dignos, propterea quod non crediderint.

Rupertus in com. h. l. *Ubinam iste iudex sedebit? quali de solio voces aut sententias iudicii sui dabit? Prope aderit, intus sedebit, in conscientia cuiusq; iustas sententias terribiliter personabit.* Albertus in h. l. *Judicabit sermo, non ut iudex sententiam dicendo, sed sicut adversarius accusationem contra eum proponendo & probando.* Sensus igitur foret, ob spretam Evangelii lucem & contemptum Christi sermonem incredulos esse condemnandos, & ex contemptu Verbi omnibus in die iudicii manifestum fore, ipsos iuste condemnari: nec ullam habere incredulitatis suae excusationem. Dicit autem sermonem potius, quam contemptum sermonis condemnaturum, quamvis sermo non nisi contemptus condemnet, ut significet, sermonem oblatum omnem infidelibus excusationem adempturum. Hæc omnia rectè quidem dicuntur, interim propriè & principaliter ideo iudicandi partes sermone suo Christus tribuit, quia est vox iudicii summi per hunc sermonem nobiscum loquentis ac norma & regula, juxta quam iudicium aliquando erit instituendum, quam explicationem tradit Apostolus, Rom. 2, 16. *Deus iudicabit mundum juxta Evangelium meum.* Dan. 7, 10. Apoc. 20, 12. *Aperientur libri, juxta quos mortui iudicabuntur.* Sic ergo quando Christus dicit, *sermonem suum in die novissimo incredulos iudicaturum,* tacite innuit, se iudicem vivorum & mortuorum à Deo constitutum, & simul exprimit normam, juxta quam sit iudicaturus, videlicet juxta sermonem suum, qui cum hodie non nisi in Scripturis sacris contineatur: ideo notanter dicunt Daniel & Johannes, quod liberi aperiendi sint, ex quibus & juxta quos iudicium sit instituendum, ac in Psalm. 149. v. 9. mentio fit *וְיִשְׁמְרוּ דְבָרֵי הַיּוֹדֵעַ*, iudicii scripti. Sic increduli iudicabuntur juxta normam illius verbi, quod habetur, Joh. 3, 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Qui Christum abnegarunt, iudicabuntur juxta normam illius verbi, quod habetur Matth. 10. v. 33. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Qui gula & ventri suere dediti, iudicabuntur juxta normam illius verbi, quod habetur Luc. 21. v. 34. *Attendite vobis, ne forte corda vestra graventur crapula & ebrietate &c.* Qui avaritiæ suere immersi, iudicabuntur juxta normam verbi, quod habetur Luc. 12. v. 15. *Videte & cavete vobis ab avaritia.* Qui misericordiae opera proximo non praestiterunt, iudicabuntur juxta normam verbi, quod habetur Matth. 25. v. 42. *Esurivi, & non dedistis mihi cibum, sitivi & non dedistis mihi potum &c.* & sic consequenter omnes haeretici, omnes increduli, omnes peccatores iudicabuntur juxta normam verbi in Scripturis Prophetis & Apostolicis propositam. Neque enim per sermonem Christi intelligenda duntaxat illa verba, quæ Christus immediate in diebus carnis suæ protulit, quæque ab Evangelistis annotata extant: sed etiam ea, quæ per Prophetas & Apostolos Spiritu suo sancto *ὁμοθυμῶς* protulit, quæ cum prioribus sunt prorsus homogenea. Iudicium autem illud fore asserit in die novissimo. Albertus in h. l. monet, *non solum de die iudicii, sed etiam mortis hoc accipiendum esse.* Et sanè in die mortis animæ increduli incipit sentire illud iudicium, quando à corpore separata in infernum à Dæmonibus abripitur: sed Christus hic propriè loquitur de publica manifestatione illius iudicii, quæ sequetur in fine mundi, quo sensu vox dici novissima ut plurimum

in Scripturis usurpatur, Joh. 6, 39. & seqq. cap. 11, 24. 1. Pet. 1, v. 5. *Quamvis vero ratione manifestationis in novissimo demum die sermo Christi dicatur iudicaturus, nequaquam tamen statuendum; quod nullo modo in hac vita iudicandi officium ipsi tribui possit aut debeat.* Christus enim in praesenti dicit, *ἐγὼ τὸν κόσμον ἀντιλαμβάνω*, ac si sermo Christi in novissimo die iudicabit, quidni etiam in hac vita iudicare posset, ita ut controversiarum ac certaminum in doctrina dijudicatio ipsi merito tribuatur? Si iudicium condemnationis in extremo die, sermone Christi in Scriptura proposito rectè tribuitur, utique etiam iudicium discretionis de fidei controversiis in hac vita ferendum rectè ei assignabitur. Per quod & in quo Christus nobiscum hodie loquitur, & suum de controversiis religionis iudicium nobis exponit, illud est vox iudicis, norma iudicii, & sano sensu etiam iudex in religionis controversiis. Jam vero Christus per verbum suum & in verbo suo scripto nobiscum hodie loquitur, & suum de controversiis religionis iudicium nobis exponit. Utique ergo Verbum Christi scriptum est vox iudicis, norma iudicii, & sano sensu etiam iudex in religionis controversiis. Illustrari hoc ipsum potest collatione iudicii civilis & scripturae humanae, ἐπι τὸν δικαστὴν ἰεναί, ait Philosophus lib. 5. polit. c. 7. ἐστὶ ἐπὶ τὸ δικαίον ἰεναί, ὃ δὲ δικαστὴς βέλτεται ἐναί ὅσον δικαίον ἐμψυχόν. Qui decisionem Imperatoris ex scripto recitari audit, iudicium ejusdem se audire rectè statuit: jam verò in Scriptura & per Scripturam Deus nobis loquitur, unde ipsi Scriptura loqvela tribuitur, Matth. 22. v. 22. & 43. Luc. 16. v. 27. Rom. 3. v. 19. Galat. 4. v. 30. utiq; ergo, qui Scripturam legit, vel recitari audit, is ipsum Deum loquentem & iudicium Dei loquentis de fidei controversiis audit, unde Dei sermo dicitur *ῥητικὸς*, Hebr. 4. v. 12. August. lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 18. contra Pelagianos disputans: *Sedeat, inquit, inter nos iudex Apostolus Johannes, & statim profert testimonium ex 1. Epist. cap. 4. v. 7. Diligamus invicem, qui caritas ex Deo est, &c.* Scripturam ergo iudicem controversiarum vocat, quia de re præclara dicta vide apud eundem August. in Ps. 23. & Optatum Milevitan. lib. 5. contra Parmen. Atq; hoc tertium est argumentum, quo Christus ad credendum in se auditores invitatur, & contra ab incredulitate eos dehortatur, ductum à gravitate iudicii, quod incredulis merendum. Ex quo colligitur, 1. incredulos jure & merito condemnari, cum repudient Christum, in quo vitam æternam Deus illis offert, & Verbum Evangelii, in quo cælestis veritas continetur. Quotquot verò lucem veritatis & vitæ repudiant, iuste in tenebris relinquantur. 2. Christo vel Evangelio Christi non posse tribui condemnationis causam, cum Christus non venerit, ut iudicaret, sed ut salvaret mundum, cumque sermo Christi non condemnet, nisi spretus & contemptus. 3. Verbo scripto iudicarias partes nefariè à Pontificiis derogari, Bellarm. lib. 3. de verb. Dei cap. 9. Gregor. de Valent. in analys. lib. 5. cap. 2. Gretserus in coll. Ratisbon. sess. 9. p. 292. cum disertis verbis illas Christus ei tribuat, quando sermonem suum & in hac vita iudicare, & in novissimo die iudicaturum, asserit, quia sermonem Christi hodie non nisi in Scripturis legimus & audimus. 4. Quotquot



quod non accipiunt verba Christi, rejiciunt eum. Illi verò non accipiunt verba Christi, qui ea vel audire recusant, vel licet auribus percipiant, tamen fide ea non amplectuntur, vel humana somnia illis admiscunt, vel ex parte duntaxat recipiunt, ex parte repudiant, vel rationis judicio ea subjiungunt, vel obedientiam illis præstare renuunt. 5. Si iudicem habet, qui non accipit verba Christi, nec credit in eum, ergò à contrario sensu, qui verbum Christi audit & credit ei, qui misit ipsum, in iudicium non venit, Joh. 5. v. 24. 6. Sermo Christi ad vitam & salutem datus convertitur in sermonem iudicii ad mortem & damnationem, si non fuerit verà fide apprehensus, 2. Cor. 2. v. 15. Quamdiu durat hæc vita, tam diu adhuc sermo Christi est sermo gratiæ etiam ipsi incredulis, quia offert illis gratiam, salutem & vitam, sed in die novissimo non amplius erit ipsis sermo gratiæ, sed iudicii & mortis.

Quartum argumentum ducit Christus à doctrina suæ autoritate, quam declarat tum à causa efficiente, videlicet ab autore, qui est Pater cœlestis, à quo Christus ad prædicandum Evangelium in hunc mundum missus, tum à sine & effectu, qui est afferre vitam æternam. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Et scio, quod mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Connexionem cum præcedentibus ostendit particula *ὅτι*. Jamdum doctrinæ suæ autoritatem merè divinam commendaverat, ex eo, quod partes iudicandi in novissimo die ipsi tribuerat, hic verò eandem probat ex causa efficiente, quia scilicet à Patre eam acceperit, à quo nil nisi divinum, augustum & infallibile proficisci potest. Simul etiam causam præcedentium exponit, quare hic sermo iudicare possit, & verè etiam iudicaturus sit incredulos in die novissimo, nimirum quia est à Deo profectus & vitam æternam hominibus offert, proinde qui eum non audiunt, nec fide recipiunt, illi iusto Dei iudicio condemnantur, cum sermonem planè divinum & tam salutarem spreverint, neque ignorantia excusationem prætexere ulla ratione possint. Chrysostomus & eum secutus Euthymius conjunctionem *ὅτι* non causaliter, sed infinitè & expositivè *ἀκριβῶς καὶ ἐξηγητικῶς* accipiunt, quo sensu ex Hebræa loquendi consuetudine interdum usurpatur. Statuunt enim, subijungi à Christo, quis sit ille sermo iudicaturus incredulos in die novissimo, videlicet is, quo sæpius contestatus fuerat Judæis, se nihil loqui ex se ipso, ac divinatorum operum testimonio illud comprobatum dederat, cum tamen nec predicationi nec miraculorum testificationi Judæi crederent. Sensus ergò erit: Hic est sermo, qui vos iudicabit in die novissimo, quod sæpe vobis dixerim, me non loqui ex me ipso, & tamen non creditis. Sed Cyrillus rectius statuit, causam reddi, quare sermo Christi eos iudicaturus sit, nimirum quia Christus non ex se, sed ex Patre sit locutus. Atque hæc ipsa *ἀπολογία* novum continet argumentum, quo Christus ad fidem auditores inducere conatur, ex cœlesti doctrinæ suæ origine & divina ejusdem autoritate petitum. Augustinus verba illa: *Ego ex me ipso non sum locutus, & Pater mihi mandatum dedit*, refert ad æternam Filii ex Patris essentia generationem, lib. 1. de Trin. cap. 12. Videamus, ne forte quod ait, *ego non ex me locutus sum, hoc intelligi vo-*

luerit, ego non ex me natus sum, &c. plerumque enim dicit, dedit mihi Pater, in quo vult intelligi, quod cum genuerit Pater, non ut tanquam jam existenti & non habenti dederit aliquid, sed ipsum dedisse ut haberet, genuisse est ut esset. tract. 54. in Joh. Ideo se dicit non locutum ex se ipso, quia non est ex se ipso, &c. Filius unicus est Verbum Patris & Sapientia Patris, in illo sunt omnia mandata Patris. Neque enim Patris mandatum Filius aliquando nesciebat, ut eum necesse esset ex tempore habere, quod antea non habebat. Ita enim à Patre quod habet, accepit, ut nascendo acceperit, dederitque illi gignendo. Nam & Vita est, & accepit vitam utique nascendo, non prius sine vita existendo &c. Ita & mandatum, non quod Filius non habebat, Pater dedit, sed in Sapientia Patris, quod est Verbum Patris, sunt omnia mandata Patris. Dicitur autem mandatum datum, quia non est à se ipso, cui dicitur datum, & hoc est dare Filio, sine quo nunquam fuit Filius, quod est gignere Filium, qui nunquam non fuit. Similia occurrunt apud Ambrosii lib. 4. de fide cap. 3. Bedam & Theophylact. in explicatione h. l. Et sanè sicut Filius dicitur non facere posse quicquam *ἑαυτῷ*, quia non est à se ipso, sed per æternam generationem à Patre natus est, Joh. 5. v. 19. ac de Spiritu sancto dicitur, Joh. 16. v. 15. non loquetur à semetipso, quia non est à semetipso, sed per æternam spirationem à Patre & Filio procedit; quæcunque audiet, loquetur. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire, illi scire est, scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quam scientia: ita quoque intelligi potest, quod Filius non loquatur à semetipso, quia non est à semetipso; interim propriè & principaliter, adeoque directè & immediatè Christus hic loquitur de suo officio à Patre sibi demandato, quòd doctrinam suam non excogitaverit humano arbitrio, nec in suo eam confinxerit cerebro, sicut Pseudoprophetæ ac seductores faciunt: sed quod Patris cœlestis, à quo missus est, mandata referat, ac voluntatem ejus mundo manifestet, quodque Pater cœlestis verba, quæ profert, in ore ipsius profuerit, Deut. 28. v. 18. perinde ut alibi passim reperit: *Doctrina hæc non est mea, sed ejus, qui misit me Patrem*, Joh. 7. v. 16. *Quod vidi apud Patrem, loquor*, cap. 8. v. 29. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor*, v. 38. *Descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*, cap. 6. v. 38. *Sermo, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me Patrem*, cap. 14. v. 24. &c. Loquitur igitur ut homo & juxta *ἡρώδης* auditorum. Si vel maximè essem nudus homo, uti existimatis, meam tamen non deberetis rejicere doctrinam, cum non loquar ex me ipso, nec humana proferam somnia, sed Patris cœlestis, à quo missus sum, mandata. Consequenter & secundariò id ipsum postea ad essentia & voluntatis unitatem ac omnimodam æqualitatem inter Patrem & Filium accommodari potest. Ideò enim & inde Filius non loquitur à se ipso, sed sicut Pater ipsi mandatum dedit, quia non est à Patre separatus, sed unius cum ipso essentia & voluntatis, unde hæc duo artissimè conjunguntur, Johan. 14. versic. 10. *Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est? verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera, unde Simon de Cassia utramque explicationem rectè conjungit: Multoties, inquit, Christus hoc reperit, quod doctrinam suam ex Patris autoritate præ-*

ferat, ne in homine contemneretur Deus, ne homo, quæ Dei sunt, sibi arrogasse diceretur, ut Deus in homine assumpto crederetur, non minoratus à Patre homo in Deo assumente, ut una persona coleretur non mutata natura humana veritate, &c. Difertè autem addit Christus, se mandatum à Patre accepisse, non solum quid faciat, sed etiam quid dicat & loquatur. Inter εἰπὲν & λαλῆν quidam ejusmodi constituunt differentiam, quod illud de prædicatione in publico, hoc verò de colloquiis privatis sit accipiendum; Dionysius Carthusianus in hunc locum: *Mandatum mihi dedit Pater, quid proferam, vel prædicando in publico, vel seorsim loquendo.* Albertus sic intelligit: *Quid dicam in meipso in corde sermonem formando, & quid loquar ad alios sermonem proponendo, quo referri posset, quod Syrus verbum εἰπὲν reddidit per ἄνθρωπον, quod significat etiam cogitavit, secum locutus est, verbum autem λαλῆν per ἄλλο, locutus est cum alio.* Verbum εἰπὲν sumitur interdum pro præcipere, posset igitur prius membrum ad *Legalia* in concionibus Christi referri, posterius videlicet λαλῆν ad Evangelicam, utramque enim doctrinam cœlestis partem Christus ex mandato Patris sui proposuit. Posset etiam per τὸ εἰπὲν intelligi præmeditata oratione aliquid proferre, per τὸ λαλῆν, in familiari & extemporaneo sermone aliquid profari, sensus ergo foret, nullum prorsus verbum sive in publica & præmeditata oratione, sive in privato & familiari sermone sibi temerè excidere, sed omnia ex mandato, & quasi præscripto Patris sese proloqui. Sed quia statim additur, quæ ego λαλῶ, καὶ οὕτως εἶρηκε μοὶ ὁ πατήρ, ἕτοι λαλῶ, ubi unica voce λαλῆν, Christus complectitur, quod duabus vocibus prius expresserat: ideo verisimilius est, inter dicere & loqui nullum esse hoc loco discrimen, sed utrumque ad docendi officium ex mandato Patris à Christo peractum æqualiter pertinere, sicut etiam Scriptura inter εἰπὲν & λαλῆν alibi non distinguit. Notandum ex his verbis: 1. Sicut Christus nihil locutus est à seipso, sed ex mandato & quasi præscripto Patris: ita quoque nihil fecit, nisi ex præcepto Patris. Coniunguntur enim τὸ ποιῆν & τὸ διδάσκην in Christi ministerio, Act. 1. 1. erat διωταὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, Luc. 24. 19. Utrumque autem ex mandato Christus peregit, missus enim erat à Patre non solum ad peragendum redemptionis officium, quod pertinet ad τὸ facere: sed etiam ad prædicandum Evangelium, quod pertinet ad τὸ dicere, Joh. 5. v. 19. *Non potest Filius à se facere quicquam.* cap. 8. v. 29. *à meipso facio nihil.* vers. 30. *quæ placita sunt ei, facio semper.* cap. 13. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* cap. 17. v. 4. *Consummavi opus, quod dedisti mihi, ut faciam.* 2. Sicut Christus non locutus est ex seipso, sed ex mandato Patris: sic ministri Ecclesiæ non debent humanas traditiones, humana somnia præponere, sed Dei eloquia, 1. Pet. 4. 11. Sicut enim Pater misit Christum; ita quoque Christus misit Apostolos, & adhuc hodie mittit omnes fideles Doctores, Joh. 20. v. 21. 3. Quia Christus ex eo colligit sermonem suum in die novissimo iudicaturum, quod non sit excogitatus humano arbitrio, inde apparet, conscientias hominum non posse, nec debere humanis doctrinis & legibus obstringi, alias in argumento Christi nulla esset connexio, quod ablit. 4. Supra Christum igitur sese extollit Romanus

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

Pontifex, quando absolutam potestatem præcipiendi, & commentis suis animas hominum obstringendi sibi vendicat. Altera ratio, qua Christus doctrinæ suæ auctoritatem probat, ducta est à fine & effectu: *Et scio, quod mandatum ejus vita æterna est.* Verbo οἶδα non solum ostendit, se scientem ac volentem ipsis benefacere, utpote minime ignarum, quam salutarem doctrinam ipsis proposuerit, sed etiam ac vel maxime doctrinæ suæ certitudinem comprobatur. Syrus habet verbum פרי, quod de certa scientia usurpatur. Certò scio, & absque omni dubitatione vobis hoc confirmo, quod doctrina, quam ex mandato Patris vobis propono, sit vita æterna: perinde ut etiam alibi fiduciali hoc scientiæ verbo utitur, Joh. 3. vers. 11. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur,* ubi posterius membrum est ἐξηγητικὸν prioris. Inde atque ideo scimus, quæ loquimur, quia, quæ vidimus & ex revelatione Patris cœlestis cognovimus, testificamur, (quæ explicatio tunc demum locum habet, si pluralis numerus ad Christum & alios Evangelicæ prædicationis ministros referatur. Alii enim aliter explicant.) Cyrillus ad Christum & Patrem cœlestem hoc refert, qua ratione videndi verbum aliter accipiendum, quod scilicet Christus ratione divinæ naturæ decreto Sacrosanctæ Trinitatis de revelatione Evangelii interfuerit ac solus Deum viderit, Johan. 1. v. 18. *solus Patrem novit,* Matth. 11. v. 26. *solus in celum ascenderit, de celo descendit, ac in celo sit,* hoc est, in mysteria regni cœlorum suis viribus penetraverit, Johan. 3. v. 13. Eodem sensu & respectu Christus etiam hoc loco pronunciat: *Ego scio, quod mandatum Patris sit vita æterna,* quia non novi illud ex quadam exteriore revelatione, sed ex interiore visione. Sic Johan. 4. v. 22. *Nos adoramus, quod scimus,* hoc est, quod adorandum esse ex Verbo cognovimus, annumerat enim sese Christus piis Israëlitis, quibus concredita erant Verbi cœlestis oracula, à quibus Samaritani & Gentiles ea accipere debent. Joh. 5. v. 32. *Alius est, qui testimonium de me perhibet, & scio, quod verum est testimonium, quod de me perhibet.* cap. 7. v. 29. *Ego οἶδα novi Patrem, quia ab ipso sum, & quia misit me,* ubi duplex ratio illius scientiæ proponitur, tum quia est à Patre per æternam generationem, per quam ut essentiam ita scientiam ab eo accepit; tum quia est ab ipso in mundum missus, & certum de prædicatione Evangelii mandatum accepit. cap. 8. v. 14. *Scio, unde veni, videlicet missus à Patre, & quo vado, videlicet ad Patrem.* vers. 55. *Ego novi Patrem.* Hæc omnia testantur, Christum ex certa scientia, & πληροφοροφασία in ministerio suo egisse, atque ea docuisse, de quorum veritate erat certissimus, unde hoc loco dicit: *Scio, quod mandatum ejus vita æterna est.* Pontificii ex his verbis colligunt, observationem mandatorum Dei esse causam meritoriam vitæ æternæ, ut apparet ex Maldonato & Salmone in hunc locum: sed manifestum est ex toto contextu, Christum mandati nomine μετανοητικῶς hic intelligere doctrinam Evangelii, quam ex mandato Patris cœlestis mundo annunciabat, &c. Eam dicit esse vitam æternam, tum quia illam docet, & ad eam ducit; tum quia in Christo Mediatore omnibus credentibus eam offert, quo sensu

Z

Petrus

Petrus ad Christum dicit, Joh. 6. v. 68. *habes verba vite æternæ*, ac Evangelium de Christo vocatur *verbum vite & salutis*, Act. 5. v. 20. cap. 13. v. 26. quia est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Roman. 1. v. 16. *Deus in Christo dedit nobis vitam æternam*, 1. Joh. 5. v. 11. Evangelium annunciat Christum, & Christi beneficia nobis offert, utique ergo vitam æternam nobis offert, ac proinde, qui credit in Christum in Verbo Evangelii annunciatum, ac fide ipsius beneficia amplectitur, is habet vitam æternam, Joh. 3. v. 15. & seq. Sap. 5. v. 24. cap. 6. v. 54. Quo sensu igitur Christus dicit, Johan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna*, hoc est, modus perveniendi ad vitam æternam, & certo modo causa vite æternæ, ut cognoscant *Te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, ubi verbum cognitionis phrasi Hebraica complectitur etiam fiducialem cordis apprehensionem: eodem sensu etiam hoc loco dicit, *mandatum Patris est vita æterna*, quia Christus in Verbo Evangelii, quod ex mandato Patris cœlestis annunciat, offert nobis vitam æternam, qui fidei obedientia huic mandato Patris sese subjicit & in Christum credit, is vite æternæ particeps redditur. Johan. 6. vers. 40. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*, ubi ipsius Christi infallibilem explicationem habemus, quo sensu & respectu mandatum Patris sui dicat esse vitam æternam. Lex moralis est quidem in se ac per se *Verbum vite*, Act. 7. v. 38. *mandatum ad vitam*, Rom. 7. v. 10. *sed infirmatur per carnem*, hoc est, propter carnis infirmitatem eam implere non possumus, Rom. 8. v. 3. inde ad justificationem & vitam redditur inefficax. Hanc doctrinæ suæ salutarem efficaciam Christus ideo tam diligenter auditoribus suis denuo inculcat, ut invitet eos ad credendum, cum talia ipsis proponat, per quæ ex tenebris liberari & æternæ vite participes fieri possint, atque ut peccatum ipsorum exaggeret, quod repudiando suam doctrinam, repudient vitam, ac *semetipsos vitæ æternæ indignos judicent*, Act. 13. v. 46. Coronidis loco repetit, se ex præscripto Patris loqui, & in ministerio suo agere: *Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* & ponitur, hoc est, pro *ora*, ut universa Christi doctrina de pœnitentia & remissione peccatorum hac vocula comprehendatur. Dixerat superius: *Ego ex meipso non loquor, sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*, docens se nihil aliud loqui, quam quod à Patre audivit & accepit, jam subjungit, se non solum nihil aliud loqui, sed nec aliter loqui, quam à Patre acceperit. Prius rem ipsam videlicet doctrinam, posterius modum rei, videlicet docendi modum respicit. Ex quo manifestum est, Christum hic de se ratione assumptæ humanitatis & de suo officio loqui, verba enim, qui misit me, & que ego loquor, ratione humanæ naturæ & respectu officii ipsi conveniunt. Quia Pater, à quo in mundum missus sum humani generis Doctor, certo mandato me instruxit, mihi que quasi præscripsit, quid proferre debeam, ideo ego, qui per omnia ipsi morem gero, *quacumque loquor, sic omnino loquor, sicut dixit mihi Pater*, nec aliud nec aliter loquens, quam ab eo accepi. Scopus est, significare, quod non temeritate humana, sed autoritate divina do-

cendi munus susceperit, quodque in hoc docendi munere non doctrinam humanam proprio arbitrio excogitatam, sed divinam & cœlestem veritatem proferat, denique quod eo docendi modo utatur, quem Pater ipsi quasi præscripsit; illud non poterat commodius exprimere, quam si de se tanquam Legato Patris cœlestis loqueretur, qui à Legante mittitur cum certis mandatis, qui nomine principalis sui, ut loquuntur, omnia agit, qui extra limites mandati non progreditur, qui nec alia nec aliter loquitur, quam à Legante & mandante accepit, unde veteres dicunt *ὁμιλοῦντος & dispensatorio sermone hæc à Christo esse prolata*. Quamvis verò hac in parte Christo conveniat cum Prophetis & Apostolis, qui itidem fuere *Dei Legati*, 2. Cor. 5. v. 20. unde toties repetunt: *Dominus misit nos, Dominus locutus est ad nos, Dominus per nos loquitur, &c.* ac nihil aliud in ministerio suo proferunt, quam quod à Deo prius didicerunt & acceperunt, unde doctrinam suam vocant auditum, Esa. 53. v. 1. quia à Deo eam audiverunt, tamen, longè sublimiore modo Christus doctrinam cœlestem proposuit, ac personæ suæ ratione ab omnibus Prophetis & Apostolis longissimè distinguitur, quod discrimen duplici ratione hoc loco indicavit. Primò enim non dicit, qui misit me Dominus vel Deus, quomodo Prophetæ dicere solent: *sed qui misit me Pater*, ostendens, se non esse solum Patris in ministerio Legatum, sed etiam unigenitum ejus Filium ex ipsius essentia ab æterno genitum, ipsique *ὁμοούσιον*, Johan. 1. v. 18. *Filius, qui est in sinu Patris*, ejusdem cum Ipso naturæ, *ipse enarravit nobis*. Unde Johan. 20. vers. 17. *& Deum & Patrem suum ipsum vocat*; Deum ratione humanæ, Patrem ratione divinæ suæ naturæ. Deinde universaliter & exclusivè pronunciat, se nihil omnino nec aliter loqui, quam quod Pater per ipsum loqueretur, hoc de Prophetis & Apostolis absolute & simpliciter dici nequit, illi enim extra ministerium suum quandoque ut homines sunt locuti, ac divina inspiratio, qua *Προφητεῖν* in ministerio suo locuti sunt & scripserunt, fuit certum temporis, unde Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 38. disputat, quod illi, quibus ea, que in autoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historicâ diligentia, alia sicut Prophetæ divinâ inspiratione scribere potuerint, atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsi, ista verò Deo tanquam Deo per ipsos loquenti judicaretur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad *veritatem cognitionis*: hæc ad religionis autoritatem, in qua autoritate custoditur canon. Quod autem de descriptione Prophetarum Augustinus dicit, idem de prædicatione eorum, uti etiam Apostolorum dici potest, ut hac etiam in parte singularis quædam *ἐξουχία* Christo relinquatur. Observandum autem ex hoc loco: 1. Quemadmodum Christus dicit: *Scio, quod mandatum Patris sit vita æterna*, ita quoque ejusmodi certitudo decet Christi ministros, cum & ipsi nihil aliud, quam quod in mandatis acceperunt, hoc est, purum & integrum Dei Verbum docere debeant. Jerem. 17. v. 16. *Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit*. Johan. 19. v. 35. *Qui hæc testatur & scribit, scit quod vera loquatur*. 2. Tim. 1. v. 12. *Scio, cui credidi: imò talis certitudo requiritur ab omnibus fidelibus,*

ne fluctent & circumferantur omni vento doctrinae, Ephes. 4. vers. 14. Scimus, quod hic verè sit Salvator mundi, dicunt Samaritani, Joh. 4. v. 42. Nos credidimus & cognovimus, quod tu sis Christus, Dei Filius, ait Petrus, Joh. 6. v. 69. Scimus, quod verum sit testimonium ejus, dicit Johan. 21. v. 24. &c. 2. Per hanc certitudinem & infallibilitatem doctrinae caelestis distinguitur ab omnibus religionibus Gentilium, quæ humano arbitrio, quin & Satanæ deceptione sunt excogitatae, uti etiam ab omnibus doctrinis humanis, quæ non nituntur certo & immoto fundamento. 3. Insignis est commendatio doctrinae Evangelii, quod fide eam recipientibus afferat vitam aeternam, perducit enim nos ad veram & salutarem Dei cognitionem, monstrat nobis Christum Mediatorem, & offert ipsius beneficia, quæ sunt gratia Dei, remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritus sancti & salus aeterna. Aliæ doctrinae humano arbitrio excogitatae non vitam, sed mortem afferunt. 4. Mandatum Patris est vita aeterna, fide scilicet obediens, & juxta voluntatem Dei in Christum credentibus, Rom. 1. v. 16, 26. Ergo à contrario sensu non credentibus est mors aeterna, 2. Cor. 2. v. 15. 5. Christus publicum docendi ministerium conclusit hoc epiphono-

nemate: Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor, hic enim principalis scopus est omnium Christi concionum, quod à Patre in hunc mundum missus sit Doctor & Redemptor humani generis, quodque non proferat humana somnia, sed caelestia aeterni Patris oracula. Qui hoc verè & ex animo credit, ille etiam verbis Christi credit; qui hoc negat, vel de eo dubitat, manet in tenebris incredulitatis, erroris & mortis.

Denique apud Marcum additur, quod Christus hæc concione habitæ, cum jam vespera esset, non solum è templo, sed etiam è civitate Bethaniam, & quod Lucas addit, inde in montem oliveti fuerit egressus, Luc. 21. vers. 37. Verbum egrediebatur hic non solum actum, sed etiam consuetudinem significat. Solitus enim fuit singulis diebus, qui inter Regium in urbem ingressum die palmarum susceptum, & diem viridium intercedunt vesperi Bethaniam secedere, ibidemque pernoctare ac manè Hierosolymam reverti, ut in templo doceret, Luc. 22. v. 39. Causas, propter quas in urbe pernoctare noluerit, & quæ circa hunc egressum è civitate notanda sint, in capite proximè præcedente exposuimus.

## CAPUT CXLIX.

CHRISTUS OCCASIONE FICUS OB MALEDICTIONEM AREFACTÆ DE VIRTUTE FIDEI DISCIPULOS instruit. Matth. 21. vers. 20. Marc. 11. vers. 20.

## RATIO ORDINIS.

**A** Descriptione Regii in urbem ingressus, & à valedictoria Christi de suo officio concione Johannes rectè transit ad commemorationem eorum, quæ die Viridium, sive pridie Parasceves gesta: sed apud reliquos Evangelistas multa occurrunt colloquia, quæ Christus diebus intermediis, quibus in templo docuit, tum privatim cum discipulis, tum publicè cum Scribis & Phariseis instituit. Illa cum à reliquis Evangelistis sufficienter exposita Johannes videret, repetitionem eorum prætermisit: contra verò suavissimam Christi concionem valedictoriam ad discipulos habitam, & orationem *προειρησεν* ab illis prætermittam, magno Ecclesiæ commodo diligenter annotavit. Historiam de maledictione ficus sine ullo dubitationis scrupulo excipit colloquium de virtute fidei occasione, ficus arefactæ cum discipulis institutum. Matthæus enim post descriptionem maledictionis immediatè subjicit: *Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: Ut quid continuò aruit ficus?* Marcus eundem servat ordinem, nisi quod diem, quo hæc fermocinatio de virtute fidei fuit habitata, clarius exprimit. Legenti descriptionem Matthæi videri poterat, eodem die, qui fuit secundus ab ingressu, videlicet die Lunæ, ut hodie

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

loquimur, hæc utraque contigisse, quod ficus ob Christi imprecationem exaruerit, & quod discipuli arefactionem ficus animadvertentes admirandi Christo dixerint: *Ut quid continuò ficus aruit?* Sed Marcus, qui post Matthæum scripsit, disertis verbis docet, postridie ejus diei, quo ficus fuit maledicta, ac proinde die ab ingressu tertio, demum arefactionem ficus à discipulis fuisse animadvertam, atque hac occasione de virtute fidei à Christo ipsos fuisse informatos. Sunt, qui existimant, discipulos statim animadvertisse ficus arefactionem, cum non potuerint non videre foliorum delapsum, viroris exsiccationem & coloris mutationem in arbore, cumque Matthæus indivulso nexu hæc jungat, *Et continuò aruit ficus, & videntes discipuli mirati sunt*, unde in Marco statuunt *ἱεροσολύμων*, ac recapitulationem quandam, cum ejectionem vendentium ex templo itidem describat, ut altero post ingressum die factam, quam ipso ingressu die peractam, ex reliquis Evangelistis constat. Sed monuimus in capite proximè præcedente, omninò statuendum esse, quod tertio ab ingressu die, videlicet die Martis, demum discipuli animadverterint, sicum exaruisse, ut evidenter ex Marco constat, cum Matthæus citra temporis notationem dicat: *Et videntes discipuli mirati sunt.* Marcus verò disertam

Z 2

tem-